


Sebastan oder griff Sebastos fürt Ehrwürdig.

Habe[illegible]

Claus[illegible]

Jebusiter h. e. zertretter qui vertunt Dei et sangui. Chri pedibus calcant.

Succidere fellen [illegible]

Matematicus
{Geographia}
{Geometria}

äo 1657. Eques Siles.

Amans ~~einer~~ der da liebet, oder ~~ein~~ liebender. Part. Præs.

Amaturus ~~einer~~ der da lieben will oder wirdt. futuri Part.

Præteritum Particip. Passivi


Amatus, ~~einer~~ der da ist geliebet worden, oder, ~~ein~~ geliebter.

Amandus, der da solle oder muß geliebet werden.

futurum Participii Passivi

Sei wie du, bedäncke daß du warum / Du hier bist.

Tempora capitis tenuis pars d. schlaff od. die dünn am haubt.



Doctiss: Vir.
1835.
E. 19,443

LATINÆ LINGVÆ JANUA RESERATA,

Rerum & Linguæ Structuram exhibens ordine nativo.

(*Ad leges Methodi Linguarum novissimæ*)

Die offene THüR der Lateinischen Sprach.



Lesnæ, Typis Danielis Vetteri.
Anno 1649.


INSTITUT
OSSOLIŃSKIEGO

AD LATINARUM LITERARUM MAGISTROS.

STructura RERUM, & circa res INTELLECTUS humani, & inservientium utrisq; VOCABULORUM Linguæ totius, posita sunt in Lingvarum Vestibulo *fundamenta*. *Superstruendum jam his fuerit in nomine* DEI, *ut exsurgat* Rerum syntagma *plenius*, & Intellectûs lumen *splendidius*, & Lingvæ corpus *quasi integrum. Omnia illa simplicissimè: ad detegendum nativum Rerum vultum; & formandos genuinos de rebus Conceptus; acquirendumq; Lingvæ usum planum, ad necessarias rerum expressiones sufficientem. Cui usui concinnata rursum sunt.*

I. Historiola Rerum, JANUÆ TEXTUS.

II. Interpres Vocum, LEXICON.

III. Præcepta sermonis formandi, GRAMMATICA.

De-

De quorũ ſcito uſu ipſos Diſcipulos, ſequenti hic mox Aditu (Latino vernaculè adhuc, quippe in Latinis nondum longè progreſſos) præmonemus, ut operarum ſeriem ipſimet capiant meliùs, & ad autopraxian diſponantur feliciùs. Quæ ipſa cùm Vos, Operarum inſpectores, longè etiam exquiſitiùs intelligere neceſſe ſit, revidete quæſo, quæ Informatorij Veſtibularis *titulo I. ſcripta ſunt. Sed & peculiaria hypomnematia hic ad calcem adjungemus, ut ne uſquam deſimus, aut quisquam Veſtrûm circa hæc, quæ Vos felices ſtudiorum formatores faciant, hæſitare neceſſe habeat. Vos ergò in attendendis illis quæ fiunt, ut rectè fiant, rectè vigilate: nec Vos ideò diligentiæ pæniteat, quòd Ingeniorum profectus, quoniam minutis conſtant auctibus, non niſi ex intervallo ſentiantur. Abſoluto integro* Januæ curriculo, *fructum laboris Veſtri & diſcentium, videbitis, cum* DEO. *Valete, inq́ antecesſum ſequentis* Encyclopædiolæ *noſtræ ſynopſin (tabellis trichotomicis, ut ſe res ipſæ dederunt, expanſam) percurrite atq́ expendite.*

Januæ

JANVÆ LL. TABVLA SYNOPTICA.

Janua LL. habet suum

- Introitum, *h. e. ad transeundam Rerum Nomenclaturam invitationem, Cap. I.*
- Transitum, *per Res et Actiones,*
  - Naturæ: *ubi spectatur Rerum naturalium*
    - primus ordo, *in Elementis. II.*
    - progressus, *inter res Elementis ortas.*
      - imperfectius *per solam côcretione, seu*
        - *constantem in* Astris, III.
        - *fluxam, in* Meteoris
          - igneis, IV.
          - aëreis; V.
          - aqveis, VI.
        - *media constitutionis, in variis* Terræ speciebus, VII.
      - perfectius, *per Generationem,*
        - *intra Terræ viscera,* Mineralium
          - Succorũ. VIII
          - Metallorũ IX
          - Lapidum. X
        - *in Terræ superficie,* Vegetabilium
          - *in genere, & rudium XI.*
          - *in specie*
            - Herbarũ, XII
            - Fruticũ, XIII
            - Arborũ, XIV
        - *extra Terrã liberè se moventium* Animalium
          - *in genere,* XV.
          - *in specie*
            - Volatiliũ, XVI
            - Natatiliũ XVII
            - *Gressiliũ*
              - Mãivetorum, XVIII,
              - ferarũ XIX.
      - perfectissimè *(Vide A)*
    - abberratio, *vid. (B)*
  - Hominis *(Vide C)*
  - Dei *(V. G.)*
- Exitum, *(Vide H.)*

(A) *perfectissimè per divinitatis participationem, in HOMINE cujus*

- *Nativitas, Vita cursus, obitus*, XX.
- *Partes*
  - Corpus, *ejusq; fabrica*
    - *exterior*, Membra XXI.
    - *interior* Partes
      - Osseæ, XXII.
      - Carneæ, XXIII
      - Hūorosæ XXIV
  - Spiritus, *cum* facultate
    - Naturali, XXV.
    - Vitali, XXVI.
    - Animali, XXVII.
  - Anima, *seu* Mens, XXVIII.
- *Accidentia præternaturalia*, Morbi
  - externi, XXIX.
  - interni, XXX.

(B) *aberrationes, seu Monstra*, XXXI.

(C) *Hominis actiones considerantur in humanâ industriâ*

- *Res ingeniosè tractandi* (Philosophia) *Artes nimirum*
  - I. Rudiores, Rusticanæ, *naturâ in vegetatione juvãtes*
    - Horticultura, XXXII.
    - Agricultura, XXXIII.
    - Pecuaria, XXXIV.
  - II. Subtiliores, Mechanicæ, *Naturæ opera trãsformãtes, in usus Vitæ*
    - Necessarios, *scil.*
      - Victum
        - frumentaceum, XXXV
        - carneum, XXXVI.
        - potulentum, XXXVII.
      - Amictum, XXXVIII.
      - Habitacula, XXXIX.
    - Cõmodos: *parãdo*
      - Vtensilia *domestica*
        - Argillacea, XL.
        - Metallica, XLI.
        - Lignea & Linea, XLII
      - Instrumenta viatoria
        - Pedestria, XLIII.
        - Vehicularia, XLIV.
        - Navigatoria, XLV.
      - Machinas tractorias, XLVI.
    - Oblectatorios, XLVII.
  - III. Subtilissimæ, *liberales*, (*Vide D.*)
- *Homines dextrè regendi* (Politia) *Vide (E.)*
- *DEVM devotè colendi* (Religio) *Vide F.*

Libri

D. Subtilissimæ, *humanum animum excolentes*, XLVIII. Cujus culturæ medium, *sunt*

- Libri & Bibliothecæ, *cum artibus eô spectantibus*, XLIX.
- Scholæ, (L.) *in quarum suprema*, Academia, docentur Facultates *quatuor*:
  - Philosophia, (LI) *quæ docet rectè*
    - Sapere, *per notitiam*
      - *Numerorum, in* Arithmetica, LII.
      - *Mensurarum*, Geometria, LIII.
      - *Ponderum*, Statica, LIV.
      - *Cæli*, Astronomia, LV.
      - *Terræ*, Geographia, LVI.
      - *Gestorum* Historia, LVII.
      - *Cogitationum*
        - *præsentiū*, Logica LVII
        - *præteritarum*, Mnemonica, LIX.
        - *futurarum*, Prognostica, LX.
    - Agere, *h.e. per Virtutē vivere, (LXI.) Virtus a. est,*
      - *directrix*, Prudentia, LXII.
      - *directa, erga*
        - Seipsum
          - Sedulitas, LXIII.
          - Temperantia, LXIV.
          - Fortitudo, LXV.
        - *proximum*
          - Humanitas, LXVI
          - Iustitia, LXVII.
          - Benignitas, LXVIII
        - *DEUM*, Pietas, LXIX.
      - *fastigiata*, Constantia, LXX.
    - Loqui
      - *propriè*, Grammatica & Lexica, LXXI.
      - *ornatè*, Rhetorica & Oratoria. LXXII.
      - *modulatè*, Poësis & Musica, LXXIII.
  - Medicina, LXXIV.
  - Iurisprudentia, LXXV.
  - Theologia, LXXVI.
- Conversatio erudita, LXXVII.

Homi.

Homines dextrè regendi (Politia) *in societate*

minore, Domestica; *cujus*
- *sedes*, Domus, LXXVIII.
- *membra*: Conjuges, LXXIX. Parentes & Liberi, LXXX. Heri & servi, LXXXI.
- *accidens notabile*, Mutatio familiæ LXXXII.

majore, Vrbica: *cujus cōsiderantur*,
- *sedes*, Vrbs. LXXXIII.
- *membra*, Cives, LXXXIV.
- *negotia quædā singularia, quarum ad procurandā*
  - *Rerum sufficiētiam*, Mercatura, LXXXV.
  - *Valetudinem*, Medicina, Pharmacopæa, Chirurgia, LXXXVI.
  - *Tranquillitatem publica, Vbi sunt*
    - Judicia, LXXXVII.
    - Recreationes: *convivales*, LXXXVIII. *iudicræ*, LXXXIX.
    - Ritus sepulchrales, XC.

(E) *maxima*, Principali; *cujus*
- *sedes*, Regio, XCI. *membra*. Princeps cum Ordinibus XCII,
- *factio insignis*, Bellum, XCIII.

(F) *Deum devote colendi*, Religio.
- *formata divinitùs, in hominis cujusq; corde*, XCIV.
- *deformata in* Gentilismo. *per varios*, XCV.
- *reformata in* Iudaismo, *per* Mosen XCVI.
- *conformata primæva, archetypa, per* CHristum. XCVII.
- *transformata denuò ad confusionē, per* Machomedem, XCVIII.

G. Dei: *ubi* de Providētia, *ejusq; administris* Angelis, XCIX

H. Exitum: *ostendentem horum omnium usum*, C.

ADI-

ADITVS AD JANUAM LINGVARUM.	Zugang zu der Sprachen-Thür.
I.	I.
Linguarum studiū quonam tendat.	Das Sprachenlernen wohin es ziele.
DEUS creavit (1) Mundum,	GOTT hat erschaffen die Welt/
plenum operibus Sapientiæ:	voller wercke der Weißheit:
Hominemque posuit	und den Menschen gesetzt
in medio Creaturarum,	mitten unter die Geschöpffe/
ut eas *contemplando,*	damit er sie beschawende/
& illis *utendo,*	und derselben sich gebrauchende/
deq; illis *sermocinando,*	auch davon sich unterredende/
delectationem habeat.	eine erlustigung habe.
Est itaque triplex (2) scopus	Ist demnach dreyfacher Zweck
vitæ nostræ in Mundo: nempe	unsers lebens in der Welt: nemlich

ut { Opera DEI spectemus; illis benè uti discamus; talem Notitiam & usum	daß wir { GOttes Wercke beschawen. die selbe wol brauchen lernẽ; Solch Erkẽdtnüß und Gebrauch/
ope Linguarum,	durch hülff der Sprachen
ad alios propagemus,	auf andere fortpflantzen/
Discimus proinde (3) *Loqui*,	So lernen wir nu reden
(unâ linguâ vel pluribus)	(eine Sprach oder mehr)
ut Rerum *Notitiam* assequamur:	damit wir der Sachen erkäntnüß erlangen:
Notitiam autem rerum quærimus,	Erkäntnüß aber der Dinge suchen wir/
ut in Usu ne abberremus.	aufdaß wir im Brauch nicht verjrren.
Ergò nota benè! (4)	Darumb mercke wol:
Linguas scire, pulchrum est:	die Sprachen kennen/ ist schön:
pulchrius, Res ipsas intelligere,	noch schöner/ die Sachen selbst verstehen/
de quibus loquendum est:	davon man reden sol.
pulcherimum autem scire,	am schönsten aber wissen,

utrâque

utrâque illâ notitiâ uti	beyde solche Wissenschafft zugebrauchen.
(5) Debent proinde Linguæ disci,	Müssen demnach die Sprachen gelernet werden/
non sine cognitione Rerum,	nicht ohn Erkändtnüß der dingen/
sed unâ,	sondern zugleich

II,

Linguas discendi via duplex, USUS & ARS.	Sprachen zulernen (ist) zweyerley weg/ Gewonheit und Kunst.
(6) Discuntur autẽ omnia ista (nominatim Lingvæ) aut USU solô	MAn lernet aber alles dis (namentlich die Sprachen) entweder durch Gewonheit allein/
(cum inteligentibus, exercitatis, eloqventibusque, conversando:)	(mit verständigen/ geübten/ wolberedten (Leuten) umbgehende:
aut ARTE certâ, ex libris,	oder durch gewisse Kunst aus den Büchern.
(7) Prior via est bona, sed ambagiosa,	Der erste weg ist gutt/ aber langsam/ umbschweiffig.

ene

nec semper certa:	und nicht allzeit gewiß:
nec potest quilibet occasiones eò habere.	kan auch nicht jederman gelegenheit dazu haben
(8) Posterior est compendiosior,	Der ander ist vortheilhafftiger/
ac certior,	und gewisser/
& servit cuilibet:	und dienet iederman:
deducitq; nos tandem eò,	und bringet uns endlich dahin/
ut versari queamus,	daß wir ümbgehen können/
cum Sapientibus,	mit klugen (Menschen)
vivis & mortuis.	lebendigen und todten.
(9) Benè igitur factum quòd viam hanc ingressi sumus,	Wol derhalben gethan/ daß wir diesen weg angetretten sind/
jam in Latinitatis Vestibulo:	schon in der Lateinischen Vorthür:
Pergamus,	Last uns fortschreiten/
experieris viam hanc fore	du solst erfahren/ das dieser Weg seyn werde/
directam, brevem, amoenam.	richtig/ kurtz/ lustig

III.	III.
Ad Linguas arte discendum.	Sprachē nach der Kunst zu lernen/ (ist)
trinus Liber necessarius.	ein dreyfaches Buch nötig.

Adgre-

Latin		Deutsch
AGgredimur *Latinitatis Januam!*	(10)	WIr treten zur Lateinischen Sprachenthür.
quæ constructa est		welche zusammen gesetzt ist
(æquè ut *Vestibulum*)		(eben wie die Vorthür)
ex *Historia Rerum.*		aus einem Historien-buch/
& *Lexico,*		und einem Wortbuch/
& *Grammatica.*		und einem Sprach-kunstbuch.
Historia recensebit	(11)	Das Historien-Buch soll erzehlen/
omnes primarias res		alle vornehme sachen
in toto Mundo.		in der gantzen Welt.
Lexicon explanabit	(12)	Das Wort-Buch sol erklären
omnes usitatas Voces		alle gebräuchliche Wörter
totius Linguæ,		der gantzen Sprach/
Alphabetico ordine		nach Abece Ordnug.
Grammatica plenius patefaciet,	(13)	Das Sprach-Buch sol völliger eröffnen/
quomodo Verba oportet		wie die Worte müssen
formari, construi, efferri.		formiret/ zusamen gesetzt/ fürgebracht werden/

cùm

cùm de Rebus loquendum est.	wenn man von dingen reden wil.

IV. De USU horum Librorum. | IV. Vom Gebrauch dieser Bücher.

QVisquis hisce libellis uti volet, discat rectè uti: de quo accipe hæc monita.	(14)	Wer diese Büchlein brauchen wil/ der lerne sie recht brauchen: davon nim diese erinnerungen (an)
Si tibi inchoare libet à sequenti mox Textu, licet: poteris intelligere omnia, si in omnibus consulis Lexicon.	(15)	So dir anzufahen geliebt von dem bald folgenden Text/ stehet es frey: du kanst verstehen alles wo du in allem zu rath nimst das Lexicon.
Res tamen faciliùs procedet, si prius familiaritatem inieris. cum hoc interprete: diligenti perlectione Lexici, à principio ad finem.	(16)	Kan dennoch die sach leichter angehen/ wo du zuvor gutte kundschafft machst mit diesem Dolmetscher: durch fleissige überlesung des Lexici/ von anfang biß zum ende/

Lati-

Latino vernaculè:		Latein und Deutsch.
Præsertim si addi-	(17)	Sonderlich wo du hin-
deris		zu thust
interpretationis ex-		die Dolmetschungs-
ercitium:		übung:
transponendo colu-		mit übersetzen der drit-
mnam tertiam,		ten columen/
(è Latino in Ver-		(aus dem Latein ins
naculum)		Deutsche)
ope columnæ pri-		durch hülff der ersten
mæ & secundæ.		und andern columm.
Vis etiam priùs	(18)	Wiltu auch zuvor durch-
percurrere Gram-		lauffen Grammati-
maticam?		cam?
Non malè feceris,		du thust nicht übel (drã)
vel solam primam		GOtt geb nur die erste
columnam.		columm.
Tum enim ve-	(19)	Denn alsdann kom-
nies		mestu
ad Historiam Re-		ins Historienbuch
rum sic,		also/
ut intelligas omnia		daß du alles klar ver-
clarè		stehest/
& rectè interprete-		und recht dolmetschest/
ris, & habeas de-		und hast lust
licias		davon.
Dehinc venies ad	(20)	Darnach kommestu ins
Lexicon,		Lexicon/
plenius perdiscen-		dasselbe vollends aus-
dum,		zulernen/
sicut & Gramma-		wie auch Gramma-
ticam:		ticam:

de quo postea mo- neberis,		davon du hernach solst erinnert werden
Sume tantum te- cum,	(21)	Nim nur mit dir /
in toto hoc Opere,		in diesem gantzen Werck /
Oculos & aures,		Augen und Ohren
Cor & Sensus,		Hertz und Sinnen /
Calamum & lin- gvam.		Feder und Zun- ge.
Lege omia IPSE,	(22)	Lis alles Selbst
Audi omnia expli- cari IPSE,		Hör alles ausle- gen Selbst /
(si tibi occasiones non desunt)		(wo es dir an gelegen- heiten nicht mangelt)
Considera omnia IPSE :		Betrachte alles Selbst :
Disce omnia pro- nunciare IPSE:		Lerne alles aus- sprechen Selbst :
Scribe omnia IPSE:		Schreib alles Selbst :
Ita se omnia dabunt IPSA,		So wird sichs alles geben Selbst /
experieris.		du solt erfahren.
Reliqua Præceptor monebit	(23)	Das übrige wird Præ- ceptor erinnern
DEUSque juva- bit,		und GOTT wird helffen /
si hunc invocaveris		so du Ihn anruffest.
Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.	(24)	Halb gethan / wer wol angefangen hat.

JA-



IN JANVAM LINGVARVM

I. Introitus.

SALVE amice, Lector.

2. Si rogas, *quid ſit Eruditum eſſe?* reſpondeo, *Noſſe differentias Rerum, & poſſe unamqvamq; ſignare appellatione ſuâ.*

3. Nihilne præterea? Nihil certè: totius Eruditionis fundamentum poſuit, quisquis *Nomenclaturam rerum* intelligenter perdidicit.

4. Nam *Vocabula ſunt notæ Rerum*: Verbis rectè perceptis, percipiuntur Res: & diſcitur utrumq; melius junctim, qvam ſeparatim.

5. At id forſan difficile eſt? Facillimum, ſi ordine, qvô Res in ſeipſis concinniter digeſtæ ſunt, eatur; & adſit lubentia, ſedulaq; attentio.

6. Aude me ſeqvi! Traducam te per omnia, oſtendamq; tibi Res ſingulas, ibi ubi ſunt, & appellabo ſic, qvomodo appelandæ ſunt.

7. Quicqvid conſpexerimus, inquam,

nominabo tibi, & describam, primò rem totam, ut quid sit scias: tum partes eius, ut quid habeat intelligas; demũ differentias, ut tibi notescat, qvot modis aliqvid sit, faciat, deficiat.

8. Eja prodeamus *sub dium!* Ibi contemplaberis, qvicqvid DEUS ab initio produxit, & adhuc per naturam operatur.

9. Post adibimus *Villas, Opificinas, Scholas:* ubi conspicies, qvomodo Homines, tùm usibus suis accommodent divina illa Opera; tùm seipsos in Artibus, Moribus, Lingvis, erudiant.

10. Dehinc intrabimus *Domos, Curias, Principumq́; aulas:* spectatum, qvaliter hominum Communitates regantur.

11. Tandem visitabimus *Templa:* ubi observabis, quàm diverse mortales Creatorẽ suum venerari, illiq́; spiritualiter uniri qværant: & qvomodo rursum Ille per Omnipotentiam suam moderetur omnia.

12. Ita nobis in conspectum venient cuncta, qvæ usqvam sunt & fiunt: tibiq́; rationabili Rerum inspectatione, ac nomenclatione, unâ cum Latina lingva innotescent *Res ipsæ, Naturales, Artificiales, Morales, Divinæ.*

13. Pa-

13. Pavescisne, qvòd tam multa transire habemus? Confide! dum rectâ ibimus, & continuo, citò pertransire poterimus: neq; profectò tædebit deambulationis tã jucundæ, ubi omni momento nova spectacula obvenient.

14. Ora DEUM ut fortunet institutum! atq; si me alacriter subsequi voles, profectum bonum, ultrâ qvàm promitto, spera.

II.

Mundi forma prima, Elementa.

15. En sumus *sub dio*, circumspice jam! Qvicqvid sursum & deorsum, prorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, vides, MUNDUS est.

16. Spatiosus ille fornix, in rotunditatẽ supra nos expansus, COELUM vocatur,

17. Pavimentum hoc, suppositum pedibus nostris, & hinc inde AQVIS circumfluum, TERRA est.

18. Istud deniq; pellucidum spatium, quod nos undiq; ambit, æqualiterq; interjacet fornici ac pavimento, AER dicitur.

 19. Ele-

19. ELEMENTA hæc mox in Creatione, ex informi & tenebroso Chao (jussu Omnipotentis primitus exorto) producta, & sic in regiones discreta sunt ideò, ut reliqvæ Creaturæ in illis habitare, illis nutriri; & (cùm intereunt) in illa rursum resolvi, possent.

20. His omnia loca plena sunt; idqve irruptâ cohærentia, & perpetuo ad invicem tritu, ac mistione; & inde rerum corruptione, rursumq; generatione.

III.
Æther cum Astris.

21. Suspice iterum æthera! Ecce ibi *Sidera* lucidis suis radiis tenebras illuminantia; ardore suo Elementa excalefacientia, & colliqvantia; cursu autem perenni (qvem à flammante sua vi habent) tempora nobis dimetientia.

22. SOL inter illa fulgentissimus, lucis nostræ origo est: qvippe qvi nobis præsentia suâ *diem*, absentiâ *noctem*, facit: quia mox post ejus occasum vesperascit, & post vesperam noctescit; rursumq; ante

ejus

ejus exortū, *aurorâ* veniente, lucescit ac di-
escit: ibi dicitur *Crepusculū*, hic *Diluculū*.

23. Idem annali suâ ad nos propinqva-
tione, *Ver* facit; recessione à nobis, *Au-
tumnum*; & utrobiq; æqvinoctium, ver-
nū & autumnale; cùm fertur summus, dat
solstitium, & *Æstatē*, atq; æstum; cùm
imus, Brumam, orditurq; *Hiemē*, & gelua.

24. A Sole igitur primariò exoritur tem-
porum dimensio: qvia circuitus ejus facit
Diem. divisum in Viginti quatuor horas
(*Horam* verò in sexaginta minuta): rūr-
sum autem dies septem dant *Hebdomadam*,
hebdomades quatuor *Mensem*, menses
duodecim *Annum*, centum anni *Seculum*.

25. LUNA, absentis noctu Solis vica-
ria, splendet non suo, sed illius mutuatitio,
lumine: á qvo semper mediâ sui parte ir-
radiata, non semper illuminatam illam fa-
ciem nobis (Terræ habitatoribus) obver-
tit: dum enim ab illo divagatur, paret
nobis jam *crescens*, jam *decrescens*; jam
plena, jam *gibbosa*; jam *dividua*, jam *falca-
ta*, jam nulla: noctem verò facit, jam *illu-
strem*, jam *sublustrem*, jam *illunem*.

26. Præter hæc duo *Luminaria*, tripli-

ces vise (nocte serenâ) STELLAS: primùm *erraticas qvinq;* (*Planetas* vocitant) motum & distantiam (tam à se invicem, qvàm à nobis) variantes: *Saturnum* pallidum, *Jovem* splendidum, *Martem* rutilantem, *Mercurium* valdè radiantem, venustamq; *Venerem*: qvæ mensibus novem Solem antecedens, & mane se conspiciendam præbens, *Phosphorus* (seu *Lucifer*) cognominatur; totidemq; menses solem insequens, & vesperi collucens, *Hesperus*, (seu *Vesperugo*.)

27. Dehinc *Stellas fixas*, immotis inter se distantiis per totam æthercam sphæram sparsas, quas à Planetis internoscere poteris scintillatione: hæ namq; scintillant, illi (Planetæ) non item; præterquam qvòd è Venere & Mercurio tremulũ quoq; jubar emicat.

28. Sunt verò etiam exiles, sine conspicillis inconspicuæ *Stellulæ*, qvæ splendorem tantùm circa se spargunt: ut videre est in albido illo, per medium stellati Cœli porrecto, circo, qvem *Galaxiam* [& *Viam lacteam*] vocant.

29. Tertij generis Stellæ sunt extraordinari-

nariæ rariſſimè apparentes, crinitæ aut barbatæ, vel caudatæ, COMETAS nuncupamus: qui num proprio fulgore fulgeant, an alieno, incertum eſt.

IV.

Ignis, cum Meteoris ignitis.

30. Contuitus es ſidereos inexſtingvibiles ignes: noſter ſublunaris pingvitudine rerum alitur, eâq; abſumtâ exſtingvitur: dum *ardet*, fovet calore ſuo propinqva, proxima verò ardore *urit*.

31. Quiqvid aret, perfacilè *ardeſcit*, & mox *gliſcit*, tùm *flammat*; ac ſi perflatur, non *flagrare* non poteſt; donec crematum redigatur in favillas, & cineres: ſed quod humet, aut madet, id in uſtione *fumat, fumigat, crepitat, ſcintillas disjectat.*

32. Atq; tum perexigua etiam ſcintillula, in aliquid *ſtramenticium*, vel *ſtupeum*, vel aliâs *flammeſcere idoneum*, incidens, facilè id incendit: ſed tu ut incendium reſtingvas, confeſtim flammam reprime, vel affunde aqvam, vel diſjice fomitem.

33. *Fumus* ardens, *flamma* est; adhærens fumario, spissatusq;, *Fuligo* dicitur: abradenda sæpiùs, ne ignescat.

34. Ignitum lignum vocabis *Torrem*; exstinctū, *Titionē*; Titionis particulā *Carbonē*; sed hic qvamdiu candet, *Pruna* erit.

35. Scias autem, res æstu torrefactas emittere *Exhalationes siccas*, qvæ in aërem sublimatæ, ibiq accensæ, excitant *Meteora ignea*: nempe *Stellas cadentes, Dracones volantes, Ignes fatuos*; *Fulgetra* item, *Coruscationes*, *Chasmata*, subitò disparentia.

36. Qvum halitus isti, post incensionem, inter se colliduntur, cient *Fulgura* & *Tonitrua*, cum fragore terribili: atque tùm *fulgurat*, *tonat*, *fulminat*, ut attoniti expavescamus.

37. Evibrata inde flamma, *Fulmen* dicitur: quod se momento dissipat & quicquid eô *icitur*, desubitò *penetratur*, *discutitur*, *concidit*, quandoque & *amburitur*, vel penitùs *comburitur*.

V.


Aer cum Ventis.

38. *Aër*, quia expositus est radiationi

Siderum, perpetim agitatur, idq; ob rerum vegetationem valdè utiliter: hinc diversi ejus *status* & *flatus*.

39. Quum etenim *calescit*, tùm *rarescit*, & se extra se collatat; quum *frigescit*, tùm *spissescit*, & se intra se contorquet: utrobique autem si quietus est, stat; si commotus, flat; nunc lenius, nunc vehementius.

40. Quum lenis ventulus spirans focil-



lat nos, *Aura* vocatur: qvum impetuosum *flamen* res qvatit, procellit, prosternit, *Procella* dicitur: qvum se in gyrum circumagit, & omnia turbat, *Turbo* est; dum incalescit repentè, dat *procellosam tempestatem*; dum mitescit, & conquiescit, reddit *serenitatem* & *sudum*.

41. Cardinales venti [à quatuor Mundi cardinibus venientes] habent cum suis medianis, reliquisque intercurrentibus, ejusmodi nomina.

42. *Boreas* & *Eurus* asperant, adstringunt, gelant; e *Auster* & *Favonius* remolliunt, resolvunt, regelant: *Etesiæ* statis anni temporibus flant, sed alibi aliter.

43. Et quia Aër etiam subterreas cavernas explet, dum concitatæ ibi flaturæ erumpere quærunt, tremefaciunt Terram, unde *Terræmotus*; dum erumpunt, cogunt eam desidere, unde *Labes* &c.

VI.

Aqva cum aqveis Meteoris.

44. Aqva *scaturit* è latice, *salit* è fonte, *manat* per rimas, *fluit* in plano: cujus minima pars *Gutta*, maxima *Mare*, dicitur.

45. Salsos fontes vocabis *Salinas*; acidos, *Acidulas*; calidos, *Thermas*; illæ asserviunt sali decoquendo, istæ potioni medicabili, hæ morbidorum lavationi.

46. *Rivi* emanant scatebris; & confluunt in *Fluvios*, hi in *Flumina*, intra suas ripas decurrentia: sed fluvium huc illuc circumfluum *Amnem* dic; collectum ex aqvis fluvialibus, rapidè defluentibus, *Torrentē*; exundantē è suis alveis, & devastantem agros, *Eluvionem*.

47. Ubi aqua fluit, *Fluentum* nuncupabis; ubi gyratur, *Vorticem* & *Gurgitem*; ubi seipsam absorbet, *Voraginem*; ubi expers fundi est, *Abyssum*: sicubi profluvio ac decursu destituitur, ibi tumet, ac se in *Stagna* & *Lacus* diffundit: scaturigines verò langvidæ, & sine fluxu, vocantur *Paludes*; confluvium limi, *Lacuna*.

48. Mare salsum est, adinstar *muriæ*: *Vndæ* ejus ab intranea æstuatione bis de die intumescunt, rursumq; detument. fluunt ad littora, & se in æstuaria defundunt;

dunt; refluuntq; reciprocè cum sonitu horribili, maximè inter *freta*.

49. Ubi inæqvaliter tellurem terminat, efficit *Sinus* & *Promontoria*; ubi circumluit undiq;, *Insulam*; ubi majori parte, *Peninsulã*, quam *Isthmus* jungit *Continenti*.

50. Sicut autem è terra sursum feruntur Exhalationes siccæ, ita ex aqua *Vapores* aqvosi: quibus cùm aër crassescit *nubilare* dicitur; ipsum verò nubilum, seu caligo spissata prope terram *Nebula* est, unde rorat; sublevata altius, *Nubes*, unde pluit, ningit, grandinat.

51. Evaporatio interdiu excitata, & nocturna frigedine conspissata, herbisq; accorporata, dat *Rorem* [quem mellitulum vocant *Mannam*; gelascentem, *Pruinam*]: sed elevatior vaporatio, & majori frigore in spumescentes guttulas, ceu floccos, concreta, dat *Nivem*.

52. Si destillatio [Nubis in aquam resolutæ] fit minutatim, *Rorationem* vocamus; si lentè, *Pluviam*; si densè, *Imbrem*; si impetuosè, *Nimbũ*; si guttæ inter delabendũ conglaciantur, *Grandinẽ*; si incalescunt, *Uredinẽ*, plantas rubigine adurentẽ.

53. E

53. E pluvia ſtillans gutta, *Stilla* eſt; quæ decidens in aquam, facit *Bullam*; bullarum verò minutiſſimarum conglobatio, *Spumam*: at cùm ſtillatio rigeſcit, fiunt *Stiriæ*; cùm aqva ſtando vel fluendo congelaſcit, *Glacies*.

54. Albicans in roſcida nube circulus [ob luminaria] *Halo* vocatur; Solare ſimulacrum [ad Solis latus] *Parelius*; lunare, *Paraſelene*; verſicolor denique arcus, Soli quandoq; contrapoſitus, *Iris* eſt, venientis vel abeuntis pluviæ index.

VII.

Terra cum Mineralibus.

55. Deſpice nunc *Terram*, ſolideſcentium corporum ſuſtentaculum! quàm habeat, hic quidem *planities* vaſtas, ibi *tumulos* & *colles* eminentes, alibi *loca fragoſa*; imò & *montes* altos, *valleſq;* profundas! *rupes* arduas & abruptas, *hiatuſq;* præcipites! Hic vides *ceſpites* herbidos, ibi *glabreta* arida, alibi *uligines* udas, humorem dem-

semper eliquantes; hic *argillosa* est, alibi *arenosa*, alibi *saxosa*.

56. Interiora ejus si queas intueri, videres plenam *meatuum* & specuum: quos vaporationes perflant, & fluores perfluunt, è qvibus diversimodè coalescentibus *fossilia* generantur, & *mineræ*.

57. *Glebam* si teris, aut frias, *pulvis* erit; si diluis, *lutum*: sed aqua turbida deponit *limum*, pedibus calcamus *cœnum*.

58. Terra tenax, figlinis apta, *Argilla* est; pingvis, agris stercorandis idonea, *Marga*; colorata, pigmentis conveniens, *Creta* & *Ochra*; ex hac autem exusta fit *Rubrica*, &c. quæ omnes Mineralium inceptio sunt.

VIII.
Succi Minerales.

59. Si mineralis fluor levicula tantùm alteratione coalescit, generantur *Succi minerales*, variæ formæ, & usûs.

60. Alij etenim sunt *aqvâ liqvabiles*: nempe omnis *salsugo*, in igne dissiliens & crepitans: uti sunt, *Sal commune*, ubique

notum

notum [qvod vel fossitium est, vel decoctum]; *Alumen*, dulcore stiptico; *Vitriolum*, acore styptico; *Nitrum* subacidum, (quod etiam *Sal nitri*, & quando in stiriam concrevit, *Sal petræ* nominatur.)

61. Alii sunt *igne inflammabiles*: quælibet scilicet terræ *pingvedo*, tam concreta quàm liquida: ut *Sulfur*, ignem celerrimè concipiens; *Naphtha*, flammam etiam deprocul arripiens; *Succinum* item translucidum, *Ambra* fragrantissima, & alia *Bitumina*, non unius generis.

62. Reliqui succi, in pulverem friabiles, & in pigmenta convertibiles, sunt: videlicet *Arsenicum* albens, *Auripigmentum* luteum, *Sandaracha* & *Cinnabaris* rubicundæ; *Stibiumq́* (seu *Antimonium*) colore plumbeo nitidum.

IX.

Metalla.

63. Quando multifariam percolatus mineralis liquor in tantam soliditatem cōduratur, ut nonnisi acerrimo igne liquescat, mox tamen rursum consistat, confit inde *Metallum*, flexile ac ductile.

64. *Plumbum* eſt crudiſſimum : è qvo deinceps paratur *Minium*, pro picturis; & *Cerußa*, pro emplaſtris ; & *Lithargyrum*, pro incruſtatione fictilium.

65. Excoctius, & paulò durius, eſt *Stannum* : duriſſimum autem *Ferrum*, quod tamen arroditur *ferrugine*; ſed quando depuratur, magisq; etiam eduratur, fit *Chalybs*.

66. *Cuprum* obducitur *ærugine*: ex quo cadmiæ commixto, fit *Orichalcum*, ob ſuam friabilitatem meliùs fundi, quàm tundi, aptum.

67. *Argentum* eſt purius iſtis : habet nihilominus ſuas ſcorias.

68. *Aurum*, eſt puriſſimum, & idcircò ponderoſiſſimũ, præſertim obryzũ: quod vel centies catillo immiſſum, nihil ſubſtantiæ deperdit, nec ſentit ullam rubiginem.

69. Metallaris naturæ etiam eſt *Talcum*; quod tamen ob indomabilem duritatem non patitur malleari, neque friari, neq; liquari ; cùm ex adverſo *Argentum vivum* nunquam dureſcat: liquet enim ſemper, licèt nihil humectet aut madefaciat.

70. *Electrum* eſt metallorum miſtura.

X. La-

X.
Lapides, vulgares & pretiosi.

71. Usque ad indissolubilitatem indurata terra, *Lapis* est: quem cominutum, *Arenam* dices, hanc autem crassiorem, *Glaream*.

72. Arenaceum & scabrum Lapidem, vocant *Tophum*; spongiosum, & veluti spumeum, *Pumicem*; lævem, & atricolorem (scriptorijs tabellis, tectorumque straturis, inservientem) *lapidem scissilem*; fissilem in pellucidas lamellas, *Phengiten*; ustulandum in calcem & gypsum, *Calcarium*; inflammabilem, *Bituminosum*.

73. *Silice* elidimus ignem; *Cote* acuimus retusa ferramenta; *Coticulâ* probamus metalla; *Magnete* attrahimus ferrū; *Hæmatite* sistimus sangvinē; *Smirite* scindimus vitrū.

74. Majorem lapidem humi jacentem (sive exstet, sive lateat) *Saxum* dices; prominentē, *Scopulū* & *Cautem*: prædurū & tamen lævigabilem, *Marmor*: quod albulum, *Pariū* vocant; candidū, *Alabastriten*; rutilum, *Porphyriten*; ferrei coloris, *Basalten*.

75. Lapillo exiguo, lucenti & micanti, nomen est *Gemma*; quarum si quæ nubeculam habet, aut scabritiem, vitiosa est.

76. Gemmarum eximiæ sunt; *Carbunculus* flammeus; *Adamas* prænitidus; *Hyacinthus* aqueus; *Smaragdus*, & *Chrysolithus*, virides: *Jaspis* subviridis, maculisque sanguineis interpunctus; *Saphirus* & *Turcois*, cæruleæ; *Topazius* & *Chrysoprassus*, aurei; *Rubinus* sanguineus.

77. Paulo viliores sunt, *Sarda* (nunc *Carneolus*) & *Granatus*, uterque rubens; *Achates*, quodammodo croceus: annumerandaque gemmis *Crystallus*, in forma hexagonæ stiriæ lapidosis antris innascens.

78. Sed *Margaritæ* [*Uniones*] in ventribus Concharum reperiuntur: *Corallium* verò arbuscula marina est, petræ subaqueæ adnascens, inque auras protracta lapidescens ac rubescens.

XI.

Stirpes *in genere:* *in specie* Fungi.

79. Quicquid è terra protuberat, illi-

que radice inhærens, reliquo corpore in aërem germinat, STIRPS est: quæ fibris humorē imbibens, eumq; in succum sibi utilem convertens, & digerens, alescit, vigescit, virescit; succo verò destituta, langvescit, flaccescit, marcescit, arescit.

80. Rudimentum *Plantæ*, *Fungus* est: utpote qui deorsum debiliter radicescit; sursum verò caulescit quidem, non tamen frondescit; sed in massam orbicularē, molliculam, infernè striatam, concorporatur.

81. [Quinimò *Tuber*, fungini generis infimū, sub terra se continet, nec foràs extuberat, nec infrà se radicat, corticellâ tātùm se obtegens: unde *Callus terræ* dicitur.

82. Fungorum alij *edules* sunt, interq; hos præstantissimi *Boleti*, *Capreoli*, *Rufuli*, *Spongiolæ*, & *Piperites*; quorundam lautitiæ: alij *virulenti* & noxij, ut *Muscarij*, *Pulverulenti*, & plerique alij; *Agaricum*, fungus est arboreus.]

83. Vera *Stirps*, habet radicem fibratam, Stipitem corticosum, ramusculos foliosos, & plerunque brachiatos: è quibus minores, quotannis emorientes & renascentes, *Herbæ* nominantur; grandiores,

& perennantes, *Arbores*; mediæ proceritatis & durationis, *Frutices*.

XII.

Herbæ herbaceique Fructus.

84. HERBA cauli suo nixa (simplici vel multiplici; unde unicaulis vel multicaulis dicitur) *est* vel *Alimentaria*, vel *Coronaria*, vel *Medicamentaria*.

85. Ex Alimentarijs sunt, [nec enim esitamus omnes] primò *spontè nascens Gramen*, viridans solùm, non sementans; dehinc *sativa*, florem & semen ferentia, *Olera & Fruges*.

86. Gramineæ herbæ sunt; *Muscus*, oppilandis rimis utilis; *Carex*, acie suâ fœnisecis molesta; *Centinodium* (Polygonum) humi serpens; *Trifolium*, &c. &c.

87. Olera nobis præbent ad comesturam, vel *Folia* vel *Radices*, vel *Fructus oleraceos*.

88. *Folia* dant. *Lactuca*, *Atriplex*, &c. inprimis verò *Brassica*, quæ sata priùs; post transplantata, fit capitata; in caulem verò

alti-

altiorem, & folia extenta, succrescens, *Crambe dicitur.* [*Asparagus* dat thyrsos, *Scolymus* capitella, *Fragaria* fraga.]

89. *Radices* longiusculas suppeditant *Rapum*, *Napus*, *Raphanus*, quæ albent; *Pastinaca*, quæ pallet; *Siser*, quod flavet; *Beta*, quæ rubet: bulbosas autem [radices] dant *Cepe*, *Allium* ac *Porrus* [atque hæ bulbaceæ foliorum loco thallos habent] sed bulbus Cepæ resolvitur in tunicas, bulbulus Allij & Porri in nucleos.

90. *Fructus oleracei* sunt, ferè cylindraceâ formâ, *Cucumeres*, *Melones*, *Pepones*, quorum genus maximum *Cucurbita* est.

91. *Fruges* adferunt *Grana*; spicatæ quidem in *Spicis*, paniculatæ in *Paniculis*, siliquatæ in *Siliqvis*; quarum istæ & illæ, *Frumenta*; hæ, *Legumina* dicuntur.

92. *Frumenta* se erigunt in culmum, geniculis interstinctum: cacuminant verò aut in Spicam, glumis grana foventem, aristisque præmunientem (quanquam sunt & muticæ; ut *Triticum*, *Hordeum*, *Ador*, (spelta, Zea) *Triticum Indicum*: aut in paniculam, fasciatim granula complectentem; ut *Avena*, *Oryza*. *Milium*, *Paniculum*, *Fagopy-*

gopyrum, (seu frumentum Saracenicum.)

93. *Legumina* habent scapum debiliorem, tametsi etiam geniculatum; pro spicis autem siliquas, includentes grana Valvulis: ut in *Faba, Piso, Ervo, Phaseolis, Lupino, Viciâ, Lente, Cicere, videre est.*

94. Additamẽta Frugum sunt, *Linũ, Cannabis*, & *Urtica*, stamine commendabiles.

95. Ad Escarias pertinent *Condimentariæ*; quæ conditioni dant, aut folia (ut *Acetosa, Endivia, Nasturtium* &c. acetariis servientia); aut granula (*Sinapis, Cuminum, Carum, Anethum, anisum, Fœniculum, Coriandrũ*); aut flores (*Croc⁹*); aut radices (ut *Raphan⁹ major, Calam⁹ aromaticus, Galanga, Zedoaria, Zinziber*, &c.

96. *Coronariæ* herbulæ (è quibus *Serta, Corollas, Servias*, pro olfactoriis, vient) floridæ & odoratæ sunt: nimirum *Viola, Pæonia, Caryophyllus, Amaranthus, Amaracus* (Majorana) *Lilium, Tulipa* &c. [*Isatis*, ex quâ *Indicum* conficitur, & *Rubia*, tinctoriæ sunt.]

97. *Medicamentosarum* aliquæ sunt hortenses, *Hyssopus, Levisticum, Mentha* &c. aliquæ silvestres, *Angelica, Lilium convallium*,

lium Scolopendrium &c; cæteræ ferè campestres; *Betonica, Centaurium, Cichorium, Enula, Melissa, Plantago,* &c.

98. *Aloë, Helleborus Rhabarbarum, Sena,* purgantes sunt; *Aconitum, Cicuta, Napellus,* venenatæ, radicitus eruncandæ: *Papaveris nigri* capitulum vulneratum, destillat *Opium*, quodvim soporandi & stupefaciendi, imò & enecandi, habet.

99. Postremo, herbæ quædam aquis innascuntur & supernatant; *Alga marina, Lens palustris, Tribulus aquaticus* &c. Sed fistulosa *Spongia* subaqueis saxis supernáta, etiam inde exempta, bibula est.

XIII.

Frutices, fruticeique Fructus.

100. Stirps lignescens, multiplici caudice fruticans, FRUTEX appellatur: quorum notiores tibi referam.

101. *Corylus* fert nuces avellanas; *Prunellus*, pruna silvestria; *Sambucus*, baccas sambuceas; *Paliurus*, baccas paliuri; *Rosa*, rosas; *Canirubus*, agrestes rosas, & postea baccas *Cynosbati*.

102.

102. *Vitis* vinifera, profert uvas vinaceas; *Vitis spinifera*, uvas spinas (crespinas); *Oxyacantha*, berberes; *Ribes*, S. Johannis baccas; *Rubus* (Humirubus, *Sentis*) mora rubi (seu mora sentis); *Rubus idæus*, mora rubi idæi; *Capparis* cappares.

103. *Ceratonia* dat dulces siliquas; *Cinnamomum* Cinnamum (dulces corticulas) *Glycyrrhiza* mellitam radiculam; sed *Hedera* arbores scandens, exedit eas.

104. *Balsamum*, arbuscula odoratissima, si vitreis ossleisvè cultellis inciditur, [nam ferro incisa emoritur] eliquat *Opobalsamum*, succum auro pretiosiorem.

105. *Gossipium*, fert quiddam non absimile nuci, quæ dehiscens detegit circa nucleos glomum lanæ inculcatum; quem redordiri, & inde lina gossipina conficere, muliebris labor est.

106. Etiam fruticosi sunt, palustres isti; *Juncus*, palmipedalis; *Scirpus* (Canna,) tricubitalis, in summitate typhas gerens; (qui cùm sit enodis, & mollicellus, texuntur ex illo Scirpeæ, Canistra, Mattæ:) tandemque lignosa & nodosa *Arundo*, quæ in India reperitur tanta, ut ex singulis

inter-

internodijs navigiola fiant, ternorum hominum capacia.

107. *Ruscus*, & reliqui *Cardui*, itemque *Ebulus*, *Erica*, *Nardus*, *Lavendula*, *Ruta*, *Salvia*, *Rosmarinus*, *Absinthium*, *Artemisia*, *Myrtillus*, (myrtilla ferens, seu vaccinia, nigra & rubra) & quæcunque Fruticibus paulo minora sunt, *Suffrutices* cluent.

XIV.

Arbores, arboreique Fructus.

108. Stirps altùm excrescens, è que Stipite robustos ramos expandens, demumque se frondibus convestiens, ARBOR est: circumtecta *Cortice*, sub quo *Librum* & *alburnū*, mox ligni *pulpam*, & in penitissima pulpa *medullam*, reperies.

109. Quædam habent *lignū* intervenijs distinctū, ideoque *fissile*; aliæ *lentum* & *flexile*; aliæ *rigidum* & *fragile*, pro vario usu.

110. Folia sunt omnibus *venosa*, multis *lanuginosa*, plerisque per ambitum *crenata* (serrata): decidunt sub hiemem, vere regerminant; præterquam gum-

mosis, *Buxo*, *Taxo* & *alijs*, *quæ usquè & usque vernant:*

111. Quædam, exuberante viridantium foliorum copia umbriferæ fiunt, opacantes vireta: ut *Tilia*, *Platanus*, *Acer*, *Fraxinus*, *Vlmus*, & cæteræ Latifoliæ [foliosæ].

112. Steriles ministrant, vel pabulum foco, ut, *Alnus*, *Betula*, *Fagus*, *Ornus*, *Populus alba*, *Populus nigra* &c; vel materiam ædificijs, ut *Quercus*, *Pinus*, *Larix*, *Cedrus*, &c; vel vimina, quorum contextione corbes & crates fiunt, ut *Salix*, *Ligustrum*, &c.

113. Fructiferarum notissimæ sunt *pomiferæ*, habentes fructum extrinsecùs molli corticellâ intectum, intus vel *granatum* vel *osficulatum*.

114. *Granata* poma sunt; *Pyrum*, *Ficus*, *Malum* [quorum varia genera, ut vulgare, aureum, citrium, Punicum, Cydonium] *Mespilum*, *Sorbum*: osficulata, *Cerasum*, *Prunum*, *Persicum*, *Armeniacum*, *Oliva*, *Cornum*.

115. Pomiferis proximæ sunt *nuciferæ*, quæ sub cortice duro nucleum, putamini inclusum occultant, ut Juglans, amigdalum, Castanea: sed è *Palma* accipies da-

ety-

ctylos; ex *Abiete*, ſtrobilos; è *Quercu*, gallas; è *Subere* & *Ilice*, glandes; è *Fago*, glandes faginas,

116. *Baccifera* ſunt, *Morus*, *Laurus*, *Sorbus ſilveſtris*, & quæcunq; baccas molliores *racematim* ferunt.

117. *Aromatiferæ* ſunt, nobis innominatæ. quæ *Piper*, *Caryophylla*, *Nuces myriſticas* (ſeu moſchatas), *macidi* incluſas, aliosque fructus odoriferos, è quibus conditucas paramus, progignunt.

118. *Reſinoſæ* ſunt, *Pinus* & *Picea*, è quibus exſtillat *Reſina*, [ex hac autem eliquatur *Pix*, & *Axungia*]; *Lentiſcus*, è qua *Maſtiche* colligitur, & *Terebinthus*, è qua *Terebinthina* fluit; & quæ *Myrrham*, *Thus*, *Camphoram*, cæteraque gummi, exſudant,

119. Vis ſcire, *quomodo fructificent*? Ante omnia *Surculus* gemmat, tùm *Gemma* hians protrudit *Florem*: (in Ficu tamen prorūpit ſine flore *Groſſulus*, & in Corylo ante gemationem *Iulus*): tandem *Fructus* (petiolo pēſilis) creſcit, donec matureſcat.

120. Frequens arboretum, ſilva eſt; quàm amœnè viridicatam, *Nemus* dices; denſam & inviam, *Saltum*; diſraratam &

inter-

intercisam, recrescentemque, *Silvam caduam*; opacam & incæduam, *Lucum*; speciatim autem, *Quercetum*, *Pinetum*, *Betulletum*, *Salictum*, &c.

XV.

Animalia in genere:

& in specie rudiora, *palpitantia*, *repentia*, *serpentia*.

121. Quod *Vitâ*, *Sensu*, & libero *Motu*, præditum est, Animal est.

122. *Vitam* accipiunt nascendo, continuant nutricando, propagant sui simile generando: ideoque *sexu* discreta sunt.

123. *Sensum* exercent (potissimum alimenti causa) tangendo, olfaciendo, gustando, audiendo, videndo.

124. *Motum*, adhibent (ad prosenqvendum bonū, & fugiendum malum) alata volãdo, pinnata narãdo, pedata gradiēdo.

125. (Qvando se animal *non movet*, tùm aut *cubat*, membris prostratis, aut *sedet*, inferioribus substratis, superioribusque arrectis; aut *stat*, totum erectum superq;

perq; pedes suos se æqvilibrans, aut fulcimento alicui connitens.)

126. Quædam tamē animalcula *palpitando* duntaxat, aut *repēdo*, aut *serpendo* se promovēt; cùm sint veluti rudimēta animalis generis, ut *Conchæ*, *Vermiculi*, *Serpentes*.

127. CONCHA inclusa testaceis conchis, [quibus caro exsanguis, & viscosa, arctissimè adhæret] levi palpitatione paulatim se sub aquis dimovet: quarū apprimæ sunt, *Ostrea* succulenta, *Concha margaritifera* [Conchylium], & *Purpura* (seu *Murex*) purpureum succum evomens.

128. Tardigrada *Cochlea*, extra aquas se dilatando & contrahendo, testaceam suam domunculam secum circumfert: putatur carere oculis, sicut & *Limax*; sed habent cornicula, quibus prætentant iter.

129. VERMES convolutione & evolutione corpusculi repunt, & è quibus rebus gignuntur, ex ijsdem nutrimentum quærentes, eas erodunt: *Acari* ceram, *Termites* carnem, *Tineæ* vestes, *Blattæ* libros, *Teredines* (seu *Cossi*) ligna, *Lumbrici* terram avidam, *Volvoces* (convolvuli)

vitem, *Curculiones* frumenta, *Erucæ* plantas, *Bombyces* mori folia &c.

130. Sed expeditiora ſunt *Inſecta*, quibus *pediculi dati*; ut *Pediculus* (Pedunculus), *Lendium* progenitor; *Pulex*, ſaltator; *Ricinus*, canibus infeſtus; *Cimex*, parietum & cubilium [præſertim abiegnorum] graveolens perreptator; *Oniſcus*, humeſcentibus muris adhærens; & *Scolopendra* (à pedum multitudine *Centipes*, & *Millepeda*, dicta): *Formicæ* denique, circa victum comportandum ſemper actuoſæ; & *Araneæ*, tenuiſſima nectentes aranea, quibus muſcis inſidientur.

131. SERPENTES, corpus oblongum adepti, arcuatâ ejuſdem ſinuatione ſerpunt: ut ſunt, *Anguis* communis, *Coluber* ſilvaticus, *Natrix* aquatica (Hydra), *Aſpis* veneno ſiſſima, *Jaculus* ex arboribus in obvios ſeſe vibrans; & quæ ſola vivos catulos parit, *Vipera* [Excetra]: & porrò ac retro gradiens *Amphiſbæna* (Cæcilia); & *Baſiliſcus* tam nocivus, ut ſolo viſu necet, & *Draco*, ſerpens alatus.

132. Serpentibus adnumerari ſolent, tametſi greſſiles, *Lacerta*, lacertoſos habens pedes; conſimiliſq; huic, ſed minor,

Seps; & maculis aureolis picturatus *Stellio*; & tam frigida, ut ignem exstingvat, *Salamandra*; & ictum letiferum flexuosâ caudâ infligens, *Scorpio*.

XVI.
Aves, aliaque Volatilia.

133. Aëriæ animantes sunt AVES, quæ alarum & caudæ vibratu, quô volunt, volant: pennatæ, plumatæ, rostratæq; omnes; excepto *Vespertilione*, qui pilosus & dentatus est, alasque habet membranaceas.

134. *Bipedes* item sunt omnes ad unam; [etiam nunquam humi considens *Manucodiata*, quam esse *apodem* falsò perhibebant] sed grandiores ambulant solummodò, minores saltitant tantummodò; mediocres utuntur & incessu, & saltatu.

135. Rostro petunt cibaria, referciuntq; ingluviem; & quamvis pitissent, nulla tamen mingit; quia humiditas in plumas, vapore plenas, diffluit.

136. Nidificant communiter in locis inaccessis; (*Halcyon* in ipso pelago nidulati

lari dicitur, tranqvillo tunc æquore); tùm ponunt *Ova*, subter testa *albumen* & *vitellum* [luteum] occultantia: atque his postea incubando, excludunt implumes *Pullos*, quos, dum pipiũt, vocamus *Pipiones*.

137. Alitum maxima *Struthio* est, ob vastitatem corporis haud subvolans; minima *Regulus*, sepes circumvolitans: generosissima *Aqvila*, absq; nictatione Solem intuens; despicatissima *Upupa*, cristata quidem, fœda tamen, quippe stercoribus victitans: formosissima *Pavo*, speciosam suam caudam subinde rotans, & superbiens; deformissima *Noctua*, cum reliquis nocturnis, *Bubone* ominoso, *Asione* aurito, *Ululá* flebili, *Alucone* ferali.]

138. Cæteræ *volucres*, *venraculæ* sunt vel *advenæ*; *campestres* vel *silvestres*, vel *aquaticæ*.

139. *Vernaculæ nostræ* fimeta & qvisquilias ruspantur: ut *Gallus*, statis horis cantitans, & in sterquilinio suo cristam erigens, & cucurriens; cum gracillantibus *Gallinis*, & omni gallinacea *pullicie*: tùm *Gallopavo* [gerens in capite vittam carnosã, & super rostro palcam, irato valdè rubentem] cum

Mele-

Meleagride sua: & *Columbus* cum *Columba*; pulchelli, si plumipedes.

140. Domesticis annumera, quæ circa ædes habitare gaudent: *Hirundines*, Veris nunciatrices; *Passeres* salaces; *Monedulas* [Graculos] item, *Cornices*, *Picas*: & ex aquaticis *Anseres* atq; *Anates*.

141. *Campestres* sunt: *Alauda*, in aëre se vibrans & cantillans, similisque huic *Cassita* cirrata; & *Coturnix* caudâ carens, ideoque parùm, & cum vociferatione, volitans: & *Perdix*, palato gratissima, & tardivola *Tarda*, & *Grues* admodum congruè abvolātes; nempe cuneatī, unâ prævolāte.

142. *Silvestrium* aliæ sunt *majores*, ut *Tetraones* [Urogalli] surdi, *Phasiani* discolores, *Attagenes* coryletis gaudentes; tùm & *Columbi feri*, *Palumbes* torquatus, & rubido pede *Livia*; & qui cuculando se prodit *Cuculus*, castusque *Turtur*.

143. *Minores* sunt; *Ficedula*; ficubus; & *Merops*, apibus; & *Rubecula*, muscis; & *Curruca*, vermiculis, vesci solitæ: *Picus* item arbores rostrans, delitescentesq; bestiolas extrahens. (*Turdus* baccis juniperinis pascitur, & sibi cacare dicitur perni-

niciem: quia è ramo, quem conspurcat, *Viscum* pullulascit.)

144. *Minimæ* sunt *Oscines*, seminibus vi-ctitantes; *Luteola*, papaveris; *Linaria*, li-ni; *Carduelis*, cardui: itē *Galbula* flavescēs, *Fringilla* frigore fritiniēs, *Luscinia* suavissi-ma modulatrix; & qui parū minurit, *Parus*.

145. *Psittaci*, *Sturni*, *Merulæ*, &c. huma-nam vocem imitari svescunt: *Vanellus* cri-status & clamosus est.

146. *Rapaces*, carnivoræ & solivagæ sunt, quæ alias prædādo, uncis, rostris & ūgvib⁹ dilaniāt: ut, *Accipiter* [qui resupinat⁹ rectâ cœlū versus evolat] cum cōgeneribus suis *Niso fringillario*, *Falcone* bellè oculatô, *Bu-teone* ignavo, *Milvo* pullastrorum raptore, *Vulture* solis morticinis pascēte, & *Corvo*.

147. *Aqvaticæ*, natandi causâ palmipe-des factæ, sunt, *Olor* candidissimus: eoq; major *Onocrotalus*, ingluvie (sub ipso mox rostro propendulâ) insaturabilis; & *Peli-canus*, rostro latissimo; & *Butio*, rostro in aquam indito, bovis instar mugiens; & *Querquedula*, semper natare; & *Mergus* identidem urinari, gaudens; & *Fulica*.

148. Cæteræ *piscivoræ* (non tamen pal-mipe-

mipedes, eóque aquas duntaxat circumvolantes) ſunt; *Ardea*, collo tortili; *Ciconia*, in tectorum pinnaculis ſpineos nidos exſtruens; *Gavia*, piſcatrix; *Motacilla*, indefeſſè caudam motitans, &c.

149. Inſecta volantia ſunt, tùm aculeata, *Apes*, *Veſpæ*, *Crabrones* &c; tùm roſtello fodicātes, *Muſcæ*; inter quas *Culices*, *Tabani* & *Aſili*: (*Oeſtro* percitū pecus ſubſilit.)

150. Aculeo carent *Fuci*; & ſtridore ſuo fæniſecij tempus indicantes, *Cicadæ*; & ſegetum populatrices, *Locuſtæ*; & Camparum diſſeminatores, *Papiliones*; & lucernis advolantes, *Hepioli*; & noctu ſtridentes, *Grylli*.

151. Vaginis alas integunt *Cicindelæ*, *Bruchi*, *Scarabæi*, *Scarabæi cornuti*, *Cantharides* &c.

XVII.

Piſces, aliaque Natatilia.

152. PISCES habent loco pedum *Pinnas*, quarum remigio natitāt; & loco colli *Branchias*, quibus ore immiſſam lympham emittunt, & ſic veluti reſpirant: ad

Sabili c fürlich Begu...
Sabiliter flüglich!

facilius denique fluitandum intus *vesicam*, spiritu turgidam; quæ si rumpitur, perit ad nandum habilitas. geschicklichkeit

153. Plerique sunt squamosi [atque in his femellæ habent *ova*, masculi *lactes*]. alij glabri, lubrici, oblongi, ut *Angvilla*, *Conger*, *Muræna*, *Murænula*, *Lampetra*, *Mustela fluviatilis*, & reliqui angvini generis.

154. Inter *fluviaticos* maximi sunt, bucculentus *Silurus*; mucronatus *Acipenser*, & cartilagineus *Huso* [Exos], grandescens usque ad viginti quatuor pedum longitudinem: minimi verò, *Apua*, *Cobitis aculeata*, *Cobitis barbatula* [Fundulus], *Gobius*: dehinc *Alburnus*, *Perca fluviatilis*, *Trutta*, *Thymallus*, *Barbus* [Mullus], *Mugil* &c.

155. *Lacustres* ac *piscinales* sunt; *Lupus piscis* [Lucius], *Cyprinus* (Carpio). *Cyprinus latus*, *Tinca*, *Coracinus*, *Perca*. &c.

156. *Pelagici* sunt, *Haleces*, quæ salitæ in tinis nobis afferuntur; & *Passeres*, qui arefacti differuntur; & *Asellus*, qui nisi cōtusus, esui non est; & in flumina exspatians *Salmo* (Elox); & pinnis in orbem expansis *Raja*; & volatici quidam pisces &c.

157. Omnes isti sunt Ovipari: Ceti autē

[*Bel-*

[*Belluæ marinæ*] vivipari; ut *Phoca, Delphinus, Orca, Flator, & Balæna*, quâ trecentarum ulnarum reperiri scribunt: habet tamen hostem *Xiphiam*, qui assultans, cuspidatissimo rostro eam compungit, tandemque conficit.

158. Sunt & *Araneæ marinæ*, nec sangvinem, nec adipem, nec spinas habentes (*mollia aquatilia* vocant): ut *Polypus*, octo brachijs prælongis metuendus; & *Loligo* (*Sepia*) atramentalem succum, nè videatur & capiatur, emittens.

159. CANCRI sunt natatilia crustata, pedibus denis, chelisq; binis: inter quos *Cammari* prægrandes sunt [tricubitales;] *Carabi* rotundi; *Sqvillæ*, minutuli cancelli.

160. Insecta hujus Elementi sunt: *Hirudo*, cuti nudipedis tenacissimè se affigens, linguaq; bisulcâ sangvinem exsugens; & *Tipula*, tantâ levitate super aquam cursans, vel stans, ut non desidat; & *Seta aquatica*, equinum crinem referens, &c.

canc. cr.

XVIII.

Qvadrupeda: primùm

161. Adducam tibi jam *Quadrupeda*, quæ vivum fœtum progenerant, lacteq; uberum alunt: grandiora unicum & rariùs; minutiora plures, & frequentiùs.

162. Pro integumento habent vel *pilos*, vel *villos*, vel *lanam*, vel *setas*, vel *sqvamas*: pedes autem vel *digitatos*, ungvibus armatos, (ut *Canis* &c); vel *ungulatos*: & quidem ungulâ vel solidâ (ut *Eqvus*) vel bifidâ (ut *Bos.*)

163. Quædam sunt *cornuta*, carentque superioribus dentibus, quia horum materia in *Cornua* transit: quocirca cibum ruminant, habentque Ventriculos quatuor contiguos, *Rumen*, *Reticulum*, *Echinum*, *Omasum*; demumque Intestina; & adipis loco *Sebum*.

164. Quædam item sunt *mansveta*, sub hominum cura viventia, *Pecora* & *Jumenta*: alia *ferocia*, hominem refugientia, pastùmque sibi ipsis quæritantia, & se per latebrosa loca & lustra abdentia, *Feræ*.

165. PECORUM maximus *Taurus*, paleari pendulo notabilis est: *Vacca* prægnás, *Forda* (Horda) dicitur; nondū fæta *Juvenca*;
Vi-

Vitulus grandescens, *Buculus*, vel *Bucula*.

166. Minorum pecudum sunt, *Oves* lanosæ, cum subrumis & abrumis *Agnis*, *Arietibusq;* petulcis; qui vexati arietãt, etsi cornib⁹ mutili, quales sũt excastrati *Verveces*.

167. Hirsutus *Hircus* castratione fit *Caper*, hic & illic arunco spectabilis: *Capram* circumcursitant petulantes *Hædi*.

168. Setosi sunt *Porci*: qui necdum castrati, *Verres*; exsecti, *Majales*; *Scrofæ* lumen & colostrã sugentes *porcelli*, *Nefrendes*; depulsi à mamma, *Delici* vocantur.

169. JUMENTUM est pecus operarium (veterinum): inter quæ maximus, gibbos⁹ *Camelus*, quò vehiculi vice utũtur: huic proximus jubâ insignis *Equus*, licet ferox, calcitrãs, effrenis, & indomitus, domatur tamen ut sessori obtẽperet: præsertim *Cantherius* factus, ubi & hinnire desinit: sed pandus *Asellus* onera bajulando servit, atque si ab *Agasone* vapulat, rudit.

170. *Canes* & *Feles* custodes nobis sunt: illi pecoris, contra fures; hi penoris, contra mures.

171. Canis n. latratu advenã prodit, improvidè appropinquantem mordet præ-

ſertim catenarius), vel ad minimum baubatur; ſi irrites, diducto rictu ringitur; ſi percutias, quiritatur: ſed rabidus morſu reddit hydrophobos, moréque catellorum latrantes.

172. *Ælurus* angulos domûs perreptans *Mures* (ſi quos muſcipula non capit) ex muſcerda odoratur, tùm inſidioſè captat, diſcerpit, devorat.

XIX.

Qvadrupeda fera: & Amphibia.

173. FERÆ majores dicuntur *Belluæ*; crudeliores *Beſtiæ*.

174. Belluarum maxima, *Elephas*, terræri dicitur aſpectu muſculi, quadrupedū minimi, porcinòque grunnitu: dentes habet duos, quadricubitos, qui dant candidiſſimum *Ebur*; pabulū v. attrahit *Proboſcide*.

175. Pari ferè corpulentiâ eſt *Rhinoceros*, oſſeis ſquamis indutus, & cornu acutum in naſo gerens, quô transfodere ſolet *Barri* ventrem, dùm cum illo præliatur.

176. Dehinc ſunt Boves feri, *Bubalus* & *Urus* (Biſon), & *Bonaſus*: ſed hic habet

cornua ad oculos flexa, ad pugnā inutilia.

177. *Unicornis*, unico bicubitali cornu spectandus, incolit abditissima deserta, ob feritatem & pernicitatem capi difficilis.

178. Ex *bicornibus*, ramosaq; cornua gestantibus, maxima est *Alces*, habens tergum insecabile, præ duritie, tùm *Rangifer*, jubatus, velocitateq; tantâ, ut vehiculo aptatus cursu diurno per nivem, aut glaciem, supra octingenta stadia decurrat.

179. *Cervus* præagilis, cornua quotannis decidua gestans [regignuntur enim, sed *Cervæ* nulla sunt], solus è brutis lacrymatur, moriturus.

180. *Damæ* cornua latescunt: *Ibici* in dorsum reflectuntur; *Rupicapræ* sunt obunca, ut horum auxilio rupes insiliat, indemnisq; desiliat: corniferorum minimus *Capreolus* est, cum sua *Caprea* & *Hinnulis*.

181. BESTIARUM nulla est cornuta, immanibus ungvibus ac dentibus armatæ omnes; quia non herbaticæ sunt, sed carnivoræ: harum robustissima, *Leo*, armis hirtis, formidolosè rugit.

182. *Pardus* prædam, quam terno saltu non assequitur, dimittit: pellem habet ni-

gris maculis distinctam: *Pardalis* verò pũctulis interalbicantibus paululùm diversã.

183. Sævissima omnium *Tigris*, & ipsa maculosa, tympanorum sonitu adeo efferari dicitur, ut in rabiem acta seipsam dilaceret: *Lynx*, corpore aliquanto minor, ferocitate haud dispar, visu præacuto est, tergoréque colorato.

184. Villos⁹ *Ursus* per hiemẽ sine victu in spelæis se cõtinet: *Ursa* catulos, quia semiformes nascuntur, circũlambẽdo refingit.

185. *Lupus*, bestiarum voracissima, famelic⁹ ululat: *Vulpes* gulosa & dolosa, nunquã cicuratur; vernô glabrescit, ac fit depilis.

186. *Onager* vento pasci perhibetur, si herbæ desint: *Aper*, radicib⁹ pastus, rostro spumat, dentibusq; frendens, Vertagos & venatores ferit, quandoq; & interimit.

187. *Simia*, sola quadrupedum caudæ expers, imitatrix humanorum operum est ridicula, ut & *Cercopithecus*, qui tamen caudatus est.

188. Nihil timidius *Lepore*: dormit patẽtibus oculis, ac si quid strepit, mox territus arrigit aures, vel se proripit, & ad dumeta confugit; si aufugere non potest, dum capi-

pitur, vagit: *Cuniculo* nihil fœcundius, ut qui non tantùm crebrò fœtat, ſed & ſuperfœtat.

189. *Erinaceus*, viſo periculo, convolvit ſe in globum, aculeosque, nè prehendi queat, erigit: *Hiſtrix* a. ſuos veluti ſpicula ejaculatur, Canesq; inſequentes vulnerat.

190. *Gazela* exſudat fragrantiſſimum *Moſchum*; nec diſſimilem huic *Catus Zibeticus*.

191. *Catus ſilveſtris*, *Martes*, *Martes ſcythica*, *Viverra*, *Muſtela*, *Muſtela alpina*, *Mus alpinus*, *Mus ponticus*, *Mus noricus* &c. ad pellicea valent.

192. *Sciurus* ſibi facit umbellam, umbroſâ ſuâ caudâ, quâ & in transvolando de arbore in arborem alæ vice utitur: ſed *Mele* & *Glire* nihil ſomnolentius.

193. *Sorex*, *Cricetus*, univerſusq; murinus grex, ſegetibus inimici, foramina ſibi cavant, in quibus hibernant: *Talpa* campos ſuffodiens, grumos facit.

194. Ad extremum ſunt quadrupeda *amphibia*, terram & aquam incolentia: exempli gratiâ, *Fiber* [Caſtor] ac *Lutra*, piloſi, & caninæ ſtaturæ: [ſed ille caudam ſquameam, pedesque poſteriores anſerinos

gris maculis distinctam: *Pardalis* verò pũ-
ctulis interalbicantibus paululùm diversã.

183. Sævissima omnium *Tigris*, & ipsa maculosa, tympanorum sonitu adeo effe-
rari dicitur, ut in rabiem acta seipsam di-
laceret: *Lynx*, corpore aliquanto minor, ferocitate haud dispar, visu præacuto est, tergoréque colorato.

184. Villos⁹ *Ursus* per hiemẽ sine victu in speluæis se cõtinet: *Ursa* catulos, quia semi-
formes nascuntur, circũlambẽdo refingit.

185. *Lupus*, bestiarum voracissima, famelic⁹ ululat: *Vulpes* gulosa & dolosa, nunquã cicuratur; vernô glabrescit, ac fit depilis.

186. *Onager* vento pasci perhibetur, si herbæ desint: *Aper*, radicib⁹ pastus, rostro spumat, dentibusq; frendens, Vertagos & venatores ferit, quandoq; & interimit.

187. *Simia*, sola quadrupedum caudæ expers, imitatrix humanorum operum est ridicula, ut & *Cercopithecus*, qui tamen caudatus est.

188. Nihil timidius *Lepore*: dormit patẽ-
tibus oculis, ac si quid strepit, mox territus arrigit aures, vel se proripit, & ad dumeta confugit; si aufugere non potest, dum ca-
pi-

pitur, vagit: *Cuniculo* nihil fœcundius, ut qui non tantùm crebrò fœtat, sed & superfœtat.

189. *Erinaceus*, viso periculo, convolvit se in globum, aculeosque, nè prehendi queat, erigit: *Histrix* a. suos veluti spicula ejaculatur, Canesq; insequentes vulnerat.

190. *Gazela* exsudat fragrantissimum *Moschum*; nec dissimilem huic *Catus Zibeticus*.

191. *Catus silvestris*, *Martes*, *Martes scythica*, *Viverra*, *Mustela*, *Mustela alpina*, *Mus alpinus*, *Mus ponticus*, *Mus noricus* &c. ad pellicea valent.

192. *Sciurus* sibi facit umbellam, umbrosâ suâ caudâ, quâ & in transvolando de arbore in arborem alæ vice utitur: sed *Mele* & *Glire* nihil somnolentius.

193. *Sorex*, *Cricetus*, universusq; murinus grex, segetibus inimici, foramina sibi cavant, in quibus hibernant: *Talpa* campos suffodiens, grumos facit.

194. Ad extremum sunt quadrupeda *amphibia*, terram & aquam incolentia: exempli gratiâ, *Fiber* [Castor] ac *Lutra*, pilosi, & caninæ staturæ: [sed ille caudam squameam, pedesque posteriores anserinos

nos habens :] & *Crocodilus*, mandibulam superiorem (inter mandendum) movens, & clypeata, *Testudo*, *Ranaq́* coaxans, cum venenato *Bufone*, & innoxia *Calamita* &c.

XX.
Homo, generaliter

spectatus, (*in sua nativitate, vitæ cursu, obitu: fine deniq́.*)

195. Collustravimùs hactenus Creaturarum classes: quibus quia Creator ad imaginem sui conformatum dominatorem dedit, hunc agedum speculemur! sed intentè, nè, dum alia in tuam cognitionem veniunt, tu teipsum ignores; corpore quidem brutis similem, mente tamen ad Angelicam excelsitatem factum.

196. HOMO, in matris utero conceptus, *Embryo* dicitur; editus in lucem, *Infans*, impuber, *Puer*; pubescens, *Adolescens*; puber, staturæq́; assequutus terminum, *Juvenis*; tùm *Vir*; mox, ætate provectiore, *Senex*; denique, decrepitâ senectâ, edentulus *Senecio*.

197. Sic è *Pupa* fit *Puella*, tùm *Adolescen-*

scentula, inde *Juvencula*, dehinc *Mulier*, tandem annosa *Vetula*.

198. Ita *Vitæ humanæ curriculum* nihil est, nisi *Nasci*, *Puerascere*, *Adolescere*, *Juvenescere*, *Virescere*, *Senescere*, *Mori*.

199. Ætatis occupationes si attendas, *Infantia* seipsam ignorat, *Pueritia* ludicris transigitur, *Adolescentia* curiosis tentatur, *Juventus* vanis oblectatur, *Virilitas* laboribus fatigatur, *Senectus* ad priorem invalescentiam relabitur (hinc senes repuerascere, & bis pueri esse, dicuntur): donec marcor senilis consumat & consummet vitam; heu quàm fugacem!

200. Interea tamen magna nobis hic peragenda demandantur: quæ omnia eô tendunt, ut æternitati, in quam intromittendi sumus, præparemur. Disce igitur NOSSE TEIPSUM, obsecro!

XXI.
Corporis humani
Membra externa.

201. Corporis nostri compages (rationalis Animæ habitaculum, & organon) sapi.

ſapientiſſimi Architecti illuſtre eſt ſpecimen: cujus fabricam, ſi artuatim ſpectetur, nemo ſatis demirari queat.

202. Quæ *Membra bina* data ſunt, locantur exadverſo ſibi ad latera; quæ *ſingula*, per medium; præſtabiliora, loco ſupremo vel intimo; ſequiora, infimo vel extimo.

203. *Capitis* partem potiſſimâ contegũt *Capilli*, in vertice rotati: anteriorẽ decorat *Facies*, è qua dignoſcimus perſonas; in facie autem eminet *Frons*, figurâ propè ſemicirculari, utrīque in *Tempora* deſinens, pleriſq; glabra, paucis hiſpida, ſeneſcẽtib9 rugoſa, lætis erugata, iracundis caperata.

204. Fronti ſubjacent *Oculi*, quoquoverſùm mobiles, facti è tunicis, & tranſparentibus humoribus; prominuli cernũt obſcuriùs, profundiores clariùs: qvorum hirqvi ſæpè lachrymas, quotidie gramias, ſudant.

205. *Pupilla*, *albo* circumfuſa, ſpeculum eſt, in quo objectarum rerum imagunculæ (in forma pupularum) reſplendent: eam *palpebræ* nictando humectant; *Cilia* verò (è crepidine palpebrarũ enata) unà cum *ſuperciliis*, ut nè quid incidat, prohibent.

206. *Auribus* adaptatæ ſunt *auriculæ*, ad ſo-

ad ſonos repercutiendum patulæ, & ad introvertendum anfractibus cavatæ.

207. Ad intercilium incipit *Naſus*, reſpirationis cauſâ datus: demittensq; ſe inter duas *genas*, diſcriminatur in duo ſpiracula, *Nares*; per quas demanãs mucus à vibriſſis detinetur, ne ante munctionem defluat.

208. Infra Naſum ſunt rubicunda *Labia*: apertile *Os*; tùm ephebis lanugine, viris barbâ, intectæ *Malæ*, & *Mentum*; *labrum* verò ſuperius tegitur myſtace: ſed quidam ſunt imberbes.

209. *Colli* anterior pars *Jugulum* eſt; poſterior, *Cervix*.

210. *Pectus*, maribus calidioribus hirtum, papillis turget: in *ventris* medio *umbilicus* eſt: infra hunc *ingven*, cum adjacentibus *verendis*, quæ ut nudare, ita nominare, pudor vetat.

211. *Tergum* habet *Humeros*, *Dorſum*, *Lumbos* & *Nates*, ſeſſionis gratiâ *clunibus* obvolutas: ad latera ſunt *Axillæ*, & *Hypochondria*.

212. Ab humeris dependent *Brachia* toroſa; hinc flexibiles *Cubiti* (quibus inniti ſolemus) & *Lacerti*; *Manusq;* perqàm ver-

versatiles, ut quidvis pro lubitu versare, ac informare, valeamus; quarum *sinistra* tenet, *dextra* operatur: quamvis hoc apud *Scævolas* contrariè, apud ambidextros indifferenter, se habet.

213. Manus concava, *Vola* est; diducta, *Palma*; contracta, *Pugnus*; habetq; *Digitos quinq;* (*Pollice* premimus, *Indice* monstramus, *Verpo* ludificamus, *Annulari* annulos gestamus, & *Auricularis* pro auriscalpio est), & digitus quisque *articulos* tres, totidemq; *condylos*: quorum postremi in ungves exeunt, quibus scabimus, scalpimus, lancinamus, laceramus.

214. Sic infra *Coxas Femora* sunt; sub *genubus*, *Crura*; sub *poplite Sura*; à *suffragine pes imus* est, continens *talos* & *calcaneum*, *plantam* convexam, & *solum*, *Hallumq;* cum *digitis*, quibus subnixi eminentiùs protollimur.

XXII.
Partes Corporis osseæ.

215. Libetnè *interanea* introspicere? mirabi-

rabiliorē Microcosmi structurā videbis; cujus fulcra, Ossa, circiter trecenta sunt: divisa in ossa *Capitis, Trunci, Artuum*.

216. Capitis *Calvaria*, ex pluribus ossibus pectinatim veluti consuta est: *Maxillæ* duæ continent alveolis triginta duobus, totidem *Dentes*: quorum anteriores quaterni *Incisores*; illis proximi utrinque *Canini*, postremi quini *maxillares* [*genuini* & molares] dicuntur.

217. *Truncum* constituunt in longum quidem *Spina dorsi*; supernè verò *ossa Thoracis*, infernè *os sessibuli*.

218. *Spina dorsi*, ut serviat erectioni ac flexuræ corporis, dissecta est in Vertebras triginta quatuor: quarū septem insūt cervici, duodecim tergo, quinque lūbis, quatuor ossi sacro, residuæ sex ossi *coccygis*.

219. *Ossa pectori* muniendo sunt, inantè *Sternum*, à tergo *Scapulæ* duæ (quas cum Sterno copulant *claviculæ* seu *jugula*, in avibus *furculæ* dicta): collateraliter verò *Costæ* utrinq; duodenæ, è vertebris spinæ exeuntes omnes, sed septenæ tantùm superiores cum sterno articulatæ; quinas breviores *nothas* vocant.

220, *Os sessibuli*, sub Lumbis vocatur *Os Ilium*; in opposito [sub ventre] *os pubis*; ad latera, quâ femoribꝰ insistit, *Os coxæ*.

221. ARTUS, sunt manuū & pedū ossa: illa impacta Scapulis, hæc coxendicibus.

222. Unius *Manûs* tot sunt ossa, quot spinæ dorsi vertebræ; *Brachÿ* unum, *Cubiti* duo, (*Vlna* & *Radius*,) *Carpi* octo, *Metacarpÿ* quatuor, Pollicis tria, reliquorum *digitorũ* quaterna [conjunctim sexdecim.]

223. Sed in *Pede* nonnisi tricena sunt; *Femoris* os unum, *Cruris* duo [*Tibia* & *Fibula*], *Tarsi* septem, *Metatarsi* quinq;, *digitorum* quatuordecim, & insuper *patellæ genualis*.

324. *Ossa majora* intrinsecùs cava sunt, medullamq; continent: *minora*, non quidem medullosa, succosa tamen; extrinsecus membranulis contecta omnia.

225. *Juncturæ ossium* ubi sine flexu sunt, simplici commissurâ glutinantur: ubi debent flecti, articulatim cohærent, per insertum alterius caput alterius *cotylæ*: interposita tamen *cartilagine* (velut pulvillo) nè ossa mutuo contactu, & attritu, dolorem sentiant: ac nè violento etiam motu

ossa

ossa divellâtur, aut luxentur, articulus quilibet firmissimis ligamentis circumligatur.

XXIII.

Carneæ Corporis partes.

226. Ita est corporis nostri *Sceletos*: quem circumvestit CARO, non continuâ massâ, sed [ob diversas membrorum motiones] dispertita velut in funes aut farcimina, quæ Anatomici *Musculos* vocant, & quadringentos quinq; numerant (405) qui, cute detractâ, sic apparent.

(Figura)

227. Inter Viscera summum est *Cerebrum*, intra Cranij cavernas geminâ *meninge* cõvelatum; in se autem divisum in cellulas quatuor, (*Ventriculos* vocant) & quintam sub occipite, *Cerebellum*: à quo *Medulla spinalis* exit, & ab hac rursum *Nervorum rami* se dividunt, per totum corpus.

228 *Trunci* cava divisa sunt in duas concamerationes, disseptas ab invicem *septo transverso* carneo (diaphragmate): supra quod *Thorax* est, infra verò illud *Venter*.

229. Thorax cõtinet *Præcordia*; nempe

pe *Cor*, pericardio inclusum, unde prodit *Aorta* magna, e *Arteriarum* per omne corpus dividendarum truncus: & circumdatum cordi *Pulmonem*, carne rarâ, ceu spumeâ ac bivalvi.

230. *Abdominis* viscera septem sunt: *Ventriculus*, cum substratis sibi *Intestinis* *Omento* circumtensa: ad cujus dextrum jacet *Jecur* [Hepar] *venarum* origo, cum *Fellis* vesicula oblonga; ad sinistrum verò *Splen* [Lien]; & in lumbis *Renes* duo; tandemq; *urinaria Vesica*; omnia hæc *Peritoneo* circumtensa.

XXIV.

Humores Corporis, cum Spiritibus.

231. Quemadmodum Ossa explentur carne, ita caro udatur *Humoribus*; hos autem permeant *Spiritus*, omnium quæ in corpore fiunt, effectores.

232. HUMOR primarius est *Sangvis*, rubens & dulcis; tùm *Pituita* (*Phlegma*) subalbicans & insipida; dehinc *Cholera*, bilis flava & amara; tandem *Melancholia*, bilis atra & acida.

233. Pro Humorum præpollentia inducitur nobis *Temperamenti* (seu complexionis) diversitas: ut alij dicamur *Sangvinei*, calido-humidi, & alacres; alij *Cholerici*, calido-sicci, & feroces; alij *Phlegmatici*, frigido-humidi, & segnes; alij *Melancholici*, frigido-sicci, & tristes.

234. SPIRITUS a. fiunt è *depuratissimo sangvine*, & se per totum corpus [ad illud vivificandum & vegetandum] diffundunt: *Naturalis ex Hepate* [ubi generatur], diffluit per *Venas*; *Vitalis ex corde*, dissultat per *Arterias*; *Animalis è Cerebro*, dimanat per *Nervos*.

235. Fungitur quisque illorum peculiari suo munere: *Naturalis* distribuit membris nutrimentum; *Vitalis* iisdem communicat calorem vivificum: *Animalis* dirigit Sensum & Motum: quod quâ ratione fiat, ut non sis nescius, edisce.

XXV.

Functio naturalis.

236. Omnia Membra nutriuntur Sangvine: *Sangvis* autem fit ex concoctis alimentis, hoc processu.

237.

237. Alimentum, primoribus incisum (atq; si quid durum fuit confractum caninis) molaribus manditur, mansumq; demittitur è Bucca, per *Gulam*, in *Stomachum*, ubi fit *prima concoctio*, hoc est, ingesti cibi & potûs in *Chylum* conversio: si quid hîc non sufficienter percoctum est, auget pituitam.

238. *Chylus* delatus per inferius orificium Ventriculi in *Lactes* (intestina graciliora, in multimodas spiras convoluta, & *Mesenterio* obvoluta), eliquatur; crassioribus fecibus per intestina protrusis, & foràs egestis, seu ejectis: (Oleta dicunrur, & *Merdæ.*)

239. Quod autem nutritivum chylo inest, exsugunt *venulæ Mesaraicæ*, immittuntq; per *Venam portam* Hepati: ubi *concoctio secunda* (sangvificatio) peragitur, excrementis ternis (serosis, turbidis perustis,) per tres vias inde amotis,

240. Nam quod serosum est, meat ex Hepate, per *Venas emulgentes*, ad *Renes*; ulteriusq; per *Ureteres* ad *Vesicam*: cui Urina instillatur, & exinde mejendo emittitur.

241. Quod turbidum est (in sangvifi-

catione) trahit ad se *Lien*, atræ bilis receptaculum, immittitq; rursum, per venulas certas, intestino crasso.

242. Deustas tandem (Sangvinis) portiunculas receptat *Fellis vesicula*: & transmittit certis venulis itidē ad *Intestina*; quæ inde ad egerendum stercora stimulentur.

243. Sangvis verò [sic jam purificatus] digeritur per *Venam cavam*, ramusculos quoquoversùs dimittentem: ubi fit *concoctio tertia*, dum quodvis Membrum exstillantem illum sangvineum rorem bibit, & lentâ agglutinatione sibi assimilat, atq; sic accorporat.

244. *Ultimæ hujus concoctionis excrementa*, sunt collectæ membratim impuritates, expellendæ per cutis poros, & alia emunctoria: hoc est, per *sudorē*, *sputum*, *mucum*, *sternutationem*, &c. aut ibunt in morbos.

245. Ergò quodlibet Membrum, alimenti indigum, solicitat venulas suas; illæ Venas; hæ Jecur; Jecur venas mesaraicas; hæ Ventriculum; Ventriculus vero si non habet quod det, corrugat se: & hoc est quod vocamus *Esuriē*; *Sitim* autem, cùm humido alimēto opus est, faucesq; arefiunt.

XXVI.
Functio Vitalis.

246. Vitæ fons, COR, ex purissima sangvinis portione excoquit flammulam, *Spiritus Vitalis* dictam; distribuendam per Arterias in omnia membra.

247. Palpitat (corculum), præ calore, continenter: ut ex contrectatu pectoris, arteriarumq; pulsu (præsertim ad carpos, & ad tempora) experiri potes.

248. Adjacens ergo illi *Pulmo*, follium instar sese distendendo, frigidiusculum aërem attrahit, & cordi afflando, illlud refrigerat: rursumq; se cõprimendo, & aërem tepefactũ reflando, fuliginosos halit⁹ egurgitat: quod *Spirare & respirare* vocamus.

249. Quæ res cùm vitæ sospitandæ deserviat, canalis [à faucibus Oris in Pulmonem descendens] factus est ex annulis cartilagineis: ut semper patere, nunquam claudi, posset, nè intercipiatur respiratio.

250. Sed hæc *Arteria aspera* simul est vocis instrumentum: quippe cujus summitas, *Guttur*, rimulam habet fistulæ si-

mi-

milem, in quam impulsus aër sonat; acutiùs vel graviùs, prout annulus *Tracheæ*, superior aut inferior, se progerens, à *Laryngé* distantiam facit.

251. Articulatam verò vocem facit varius soni allisus [ad Linguam, palatum, dentes, &c.] variaq; oris configuratio.

252. Unde est, quod brutorum soni tàm varient, ut Angvis *sibilet*, Aquila *clangat*, Ciconia *gloteret*, Cornix *cornicetur*, Apes *bombylent*, Bos *boet*, Taurus *mugiat*, Oves *balent*, Porci *gruniant*, aut *quirritent*, Vulpes *ganniat*, Ursus *murmuret*, &c: quodq; Pisces voce careant, quia pulmone ac tracheâ carent.

253. Sed & homo ipse aliter atque aliter sonare potest: quia tristis *suspirat*, ægrotus *gemit*, impatienter dolens *plorat*, & *ejulat*; tacitè loquens *mussat* aut *susurrat*; sonorè *clamat*, &c.

254. Quia vero *trachea* nullomodo aliud præter aërem tolerare potest [alioqui mox *tumultuatur*, *tussiendoq;* expectorare quærit] additum ibi operculum, *Uvula*, obturat Laryngem tùm, cùm alimentum *Oesophago* ingeritur, ne aliquid influat.

255. *Tonsillæ* sunt glandulæ duæ fungosæ, ad Gurgulionem sitæ, veluti salivæ fontes, ad Lingvam semper salivandum.

XXVII.
Functio animalis:
cum Sensu, Motu, & Quiete.

256. *Spirituum animalium sedes in Cerebro est.* unde illi per nervos excurrendo ad oculos, aures, nares, lingvam & per omne corpus, faciunt, ut quicquid nos contingit, quale sit cognoscatur. Nam

257. Caleatné aliquid, an frigeat, comperies *tangendo*; Humidúmne an siccum sit, *prensando*; Durum an molle, *comprimendo*; Asperum an læve, *attrectando*; Grave an leve, *attolendo*: ubi sit [in tenebris], *palpando*.

258. Atq; iste est primus SENSUS, *Tactus*; quo si afficimur blandè, *Voluptas* est; si molestè, *Dolor*; si blandulis prensationibus, *Titillatio*; si minutulis compunctiunculis, *Pruritus*.

259. In Lingva, poroso & nervoso membro, examinat idem spiritus *Sapores*: depre-

prehenditq; mel esse *dulce*, fel *amarum*, acetum *acidum*, piper *acre*, fructum maturum *sapidum*, immaturum *austerum*, labruscum *acerbum*, multa etiam insipida: estq; hic secundus sensus, *Gustus*.

260. Tertius est *Olfactus*, internoscens *odores*, hoc est, subtilissimas rerum exhalationes: quæ permanando ad nares spiritū afficiunt, vel gratè, *suaveolentia*; vel molestè, *graveolentia*: ut cùm caro adusta *Nidorem*, putida *Putorem*, rancida [quale esse solet Lardum, & Arvina] *Rancorem*, morticina *Fætorē*, exhalāt: omnia enim mucida, & situ corrupta, putent, sordēt, fœtent.

261. In auribus est officina *Auditûs*: ubi spiritus organis suis (tria sunt officula, *Stapes*, *Incus*, & *Malleolus*, cum auditoriis nervis) discriminat *Sonos*, id est, cōcussi circa se aëris coagitationes: aliud etenim vibramē in auribus dat *Clamor*, quàm *sibilus*, &c.

262. (Sonitus repercussus, & resonans, aut reboans, *Echo* dicitur; modulatus, *Cantio*; è fractura veniens, *Fragor*; ex elisis, *Crepitus*; &, si vehementior fit, *Fremitus*, tenuis valdè, *Tinnitus*, &c.)

263. *Visu* discriminamus *Colorees*: quorum

rum *Albus* & *Niger*, extremi sunt; *Luteus* & *Cæruleus*, *Viridis* & *Ruber*, intermedij.

264. *Albitudinis* & *Nigritudinis gradus* sic dignosce: *candida* est Creta, *canus* Capillus, *lacteum* Ebur, *pallida* Palea, *cinereus* (murinus) Asinus, *russus* Ungvis: Pix est *atra*, Æthiops *fuscus* (turv⁹), Passer *pullus*, Anser *aquilus*, Castanea *spadicea*, (badia).

265. Inter *Cærulea*, Caryophyllum dic *hyacinthinum*, Violam *ianthinam*, sugillationem *lividam*, Cyanum *cyaneum*, Felinos oculos *cæsios* [glaucos]: inter *Lutea* verò, Aurum *flavum*, Cadaver *luridum*, Lupam *ravã*, semicoctũ Laterem *gilvum*.

266. E *viridibus*: Quercetum est *herbeum*, Pinetum *prasinum*, Pontus *vitreus*, & cùm undat *venetus*: è *Rubris* sunt, Coccus *purpureus*, Minium *puniceum*. Flamma *rutila*, Vulpecula *rufa*, Leo *fulvus*.

267. Ut autem sentias te sentire, dati sunt *interni Sensus* tres; *Sensus communis*, cujus officina esse putatur sub Sincipite; *Phantasia*, sub vertice; *Memoria*, sub occipitio: illic Spiritus tanquam in specula stans, simulacrum cujusq; rei visæ, auditæ, olfactæ, gustatæ, tactæ, arripit; istic ea

spe-

ſpeculans dijudicat; hîc icones illas in futurum recōdit, & pro occaſione depromit.

268. Memineris proinde, Senſûs communis officium eſſe, *attendere*; Phantaſiæ, *imaginari*; Memoriæ, *meminiſſe*; aut ſi quid oblita fuit, *reminiſci*.

269. Idem animalis Spiritus operatur Motum *localem*: dum diſcurſans per *Nervos*, & implens *Muſculos*, hinc intendit *Tendines*, illinc retrahit: quam intenſionem & attractionem motus membri ſequitur.

270. Feſſus autem, quieſcere quærit: ideoq; ſenſorijs derelictis, in ſua intranea ſe occulit, quod *Somnum* vocamus: & ſic *dormire* nihil eſt, niſi Senſus ab externis operationibus requieſcentes habere, quô Spiritus defeſſi, & diſperſi, & diſperditi, ſe intra ſe recolligant.

271. *Naturalis* n. ſpiritus maximè tunc digeſtioni vacat; *Vitalis* calorem nativum reparat; *Animalis* ſe ipſum in cerebro vegetans, & cellulas ſuas tranſcurſans, in quæ phantaſmata incidit, illa reaſſumit perſpeculanda; quod *Somnium* vocamus.

272. *Sopor* ergò tempeſtivus recreat nos, quia vires auctat; *Vigilia* nimia fatigat, quia

quia exhaurit: nec tam impensè debilitat *Inedia*, quàm *Insomnia*.

273. Qui *dormiturit*, oscitat & pandiculatur; qui *dormitat*, oculis nictat, & capite nutat: qui *dormit*, somniat, & aliquando stertit: qui *edormivit*, expergiscitur (evigilat), experrectusque expergefacit (excitat) alios.

XXVIII.
Mens cum affectibus, & conscientia.

274. Quia Sensus tantùm præsentia objecta percipiunt, & quidem superficiariè; data nobis est MENS, hoc est, vis ad absentia quoq; penetrandi, abstrusa indagandi, futura præsagiendi; cum *Arbitrio* agnita bona appetendi; & *Facultate* concupita audendi.

275. Penetrativam illam vim vocamus *Rationem*, quæ rerum Intellectum quærit: boni appetitivam vim dicimus *Voluntatem*, quæ rerum Electionem exposcit: desiderata consectandi vim nuncupamus *Animum*, qui rerum Potestatem ambit.

276. Hæc tria faciunt Hominem differre à brutis: imò homines ab hominibus, dum alij plùs aliis, & meliùs, *intelligunt*, *volunt*, *satagunt*.

277. Nam qui multa inquirit, *industrius* est; qui facilè rem arripit, *ingeniosus*; qui excogitat, *Solers*; qui noscit, *gnarus*; qui notitiam usu firmavit, *expertus*; qui rebus uti novit, *prudens*; qui utitur, *sapiens*; qui abutitur, *astutus*, & *fraudulentus*.

278. Contrà, qui nihil curat, *Socors* (torpidus) est; qui nihil percipit, *stupidus*; qui tardè perspicit, *hebes*; qui nihil perpendit *improvidus*.

279. Rursum: quod quis *Sensu* tenet, id scit; quod *Ratione*, id intelligit: quod *Fide*, id credit: sed hîc relatio verisimilis facit *Persvasionem*; probata, *Assensum*; sine probatione admissa, *Credulitatem*.

280. Quorum causam non intelligimus *miramur*; quæ pernoscere volupe est; *rimamur*: sed perceptio rei vera dat *Scientiam*; falsa, *Errorem*; debilis, *Opinionem*; ex conjecturis veniens, *Suspicionem*; nutans, *Dubitationem*; impedita, *Hallucinationem*; nulla, *Ignorationem*.

281. *Vo-*

281. *Voluntatis* est, bona amare ac velle, mala odisse ac nolle: ex accidenti est, si quando fit, ut hæc placeant, illa displiceant: tunc enim eam externa species decipit, ut eligat deteriora, & spernat potiora.

282. Ex aberrationibus n. intellectionis veniunt Voluntatis errata, & dehinc Animi quoq; enormes conatus, moliminaq; irrita; quia Boni ignorantia affert ejus *neglectum*, satietas *fastidium*, amor præfervidus *zelum*.

283. Unde & Animi passiones, seu AFFECTUS, veniunt. *Absunt* enim *bona*? desiderat illa, optat, sperat; pro adipiscendis nihil non tentat, frustrationem tamen metuit: atq; si differri videt, tædium habet. *Adsunt*? gestit, lætatur, plaudit, perfruendo iis sese oblectat; saturatus tamen ijs, rursum illa fastidit. *Eripiuntur*? tristatur, dolet, queritur, desperat.

284. At *mala inquietant* eam magis: quæ *ventura* abominatur, formidat, tremiscit, angitur; *advenientia* horret, trepidat, aut stupescit; *postquam obvenerunt*, irascitur, mæret, luget.

285. *In alienis bonis & malis* non semper eodem modo affecta est: ibi enim gratulatur, aut invidet; hîc commiserescit, aut (si perversa est) exultat & insultat.

286. Mens sibi ipsi, & actionibus suis, obversa, CONSCIENTIA dicitur; quæ si pervidet se intellecta & electa bona secutam, reprobata mala aversatam, gaudet; sin, pavescit, & contra seipsam fit index, testis, judex, tortor.

XXIX.

Accidentia præternaturalia, Morbi: primò externi.

287. Secundùm exteriorem aspectum, quidam sunt *corpulenti* & *obesi*; alij *graciles*, *macilenti*, & *strigosi*: quidam *formosi*, alij *deformes*, ac *turpes*; (gibbus enim, struma, & quodvis tuber, deformant): secundùm verò habitudinem interiorem, alij sunt *firmi*, alij *invalidi*, ac *teneri*.

288. Functiones integræ dant *Sanitatem*; læsæ, *Morbum*: sive læsio fiat à mala conformatione membrorum (ut cùm justo majora aut minora sunt, aut malè figu-

rata, vel perperam situata): sive à solutione continui (ut in *Vulnere*, *Ulcere*, *Luxatione*, *Fractura*, *Ruptura*); sive à vitiata Humorum crasi (ut in *Morbis*.)

289. Malè figurati sunt, *Obstipi*, *Cernui*, *Capitones*, *Cilones*, *Frontones*, *Buccones*, *Labeones*, *Bronchi*, *Dentones*; & qui Nasum habent *adũcum*, vel *reduncum* (resimum) vel *simum*: item *Gibbosi*, *strumosi*, *verrucosi*.

290. Cui parvi sunt ocelli, *Ocella* dicitur; cui prominent, *Exophthalmus*: Unoculus, *Luscus* est; contortis oculis cernens, *Cocles*; distortis, *Strabo*; obliqvatis & limis, ac alterutro minore, *Pætus*; semiclausis, & admota tantùm, *Myops*; non videns ad lucernam, & caligans, *Lusciosus*.

291. *Mutus* est fari impotens, à congenita surditate; *Blæsus* malè sibilat; *Balbus* hæsitat: *Nasutus* & *Silo*, acriter odorari, *Flaccus* esse bardus, *Bucco* ingluviosus, *Crispus* non facilè calvescere, *Rufus* tardè canescere, putatur.

292. *Mancus* manu caret; *Ancus* contractam habet; *Sedigitus* digito redundat; *Claudus* claudicat: *Pedo* habet pedes debito longiores, *Pansa* latiores, *Loripes* incur-

curvos: *Scaurus* talos nimis exstantes; *Varus* crura divaricata; *Vatius* in medio extorta; *Valgus* suras præcrassas: *Compernis* genua sibi atterit.

293. *Vulnus* fit cæsim aut punctim, aut morsicatim [mordicùs]; *Plaga*, percussione, aut contusione; *Vibex*, verbere; *Pustula*, ustione; *Pernio*, gelatione; *Callus*, induratione: sed Plagæ signum *Livor* est; vulnere curato superest *Cicatrix*.

294. Subcutanea putredo *Ulcus* est: quod postquam suppuraverit, & abscesserit, *Apostema* (abscessum) vocabis: centrum verò ejus (pus, tabum, saniem, exstillans), *Vomicam*: at quod de loco in locum serpit, *Herpes* est; quod circa se carnem exedit, *Cancer* (*Carcinoma*); quod eandem facit mortuam, *Gangræna*.

295. *Ozæna*, est suppuratio in naribus; *Reduvia*, ad ungves; *Varioli* & *Morbilli*, ubivis.

296. *Luxatio* fit, cùm Ossa suis acetabulis emoventur; *Fractura*, cùm diffringuntur; *Ruptura* accidit membranis, facitque in Peritonæo *Herniam* [*Ramicem*], h. e. intestinorum procidentiam in scrotum &c.

XXX.

Morbi interni.

297. Jam denarrabo *temperamenti Morbos*, ordine Functionum.

298. Ventriculus, si nihil [alimenti] appetit, *Anorexia* est; si nimio plùs, *Bulimia*; si absurda, *Pica*: si assumpta coquit imbecilliter, fiunt *Fluctuationes*, erumpentes sursum per *Singultus* & *Ructus*, deorsum autem per *Flatus* & *Crepitus*; si pravè, *Vermes*; si planè non coquit, sed rejicit per superiora, *Vomitus* est [quem præcedit *nausea*], per inferiora verò *Lienteria*.

299. Si intestina non ejiciunt, dicitur *Constipatio* (alvi); si cum torminibus in colo, *Colica*; si in ilibus, *Ileos* [*Iliaca passio*, & *Volvulus*, ubi cibus stercoribus permistus rejicitur ore]; si verò dejectio nimiè crebra est, *Diarrhœa*; si sangvinolenta, *Dysenteria*: si pauca, & cum difficultate, aut inani egerendi cònatu, *Tenasmus*; si sursum & deorsum simul, *Cholera*.

300. Venarum Mesaraicarum obstructio, dat *Inflationes*, *Melancholiam hypochodriacam*, & *Febres lentas*.

301. Hepar, si generat sangvinem aquosum, intercutem, fit *Hydrops*; si semicrudum, *Cachexia*, & *pallor*; si nimis acrem, *Scabies* & *Papulæ*; siq; occulta malignitas se admiscet, *Scorbut⁹*, *Lues venerea*, *Lepra*.

302. Fel, sanginem inficiens, efficit *Icteritiam flavam* [Auriginem], *Gracilitatem*, *Tabē*: Lien verò feces multas colligens, inducit sinistro lateri *Tumorē Scirrhū*, *Icterum nigrum*; easdem autem in venas hæmorrhoidales deponēs, *Hæmorrhoides*, aliquando cum procidentia ani, aut Fico.

303. Serum diutiùs in Ureteribus detentum, facit *Lumbaginem*; in Renibus & Vesica, *Calculum*; Urina verò suppressa excitat *Ischuriam*; difficilis, *Dysuriam*; guttatim exiens, *Stranguriam*; sangvinea, *mictionem cruentam*; immoderata, *Diabeten*.

304. Savgvinis ad membra delati assimilatio nulla, aut paulula, affert *Macrorem*; nimia, *Tumores* & *Inflammationes*, [quas in tonsillis *Anginam*, sub lingva *Ranulam*, in venis *Varicem*, in cute ubivis *Erysipelas* vocamus]; prava, in facie *Lichenes* (Impetigines, Mentagras); alibi *Vitiligines* (Lentigines), inq; capite *Porrigines*

 (fur-

(furfures) &c. Sed *Alopecia*, *Calvities*, *Canities*, à defectu humidi radicalis sunt.

305. Superamenta coctionum ascendentia ad Caput, indeq; defluentia in subjectas partes, sunt *Destillatio* [Catarrhus]: quæ si delabitur ad oculos, facit *Lippitudinem*; si ad fauces, *Gravedinem*; si ad tracheam, *Raucedinem*; si exulcerat Pulmonem, purulentaq; adest exscreatio, *Phthisin*; si deniq; salsa illuvies detruditur ad articulos, *Arthritidem*, (quam in manu *Chiragram*, in pede *Podagram*, in genu *Gonagram*, in coxendice *Sciaticam*, vocabis.)

306. Cordis motus intensus, dicitur *Cordis palpitatio*; nullus, *Animi deliquium*: respiratio difficilis, *Anhelatio*; frequens nimis, *Asthma*; molestum aliquid vehementi commotione ejecturus thorax, *Tussim* excitat; cerebrum, *Sternutationem*: qui supini vel proni recubantes dormiunt, facilè *Anhelitu* infestantur.

307. Sensu læsi sunt, *Cæci* & *cæcutientes*; *Surdi* & *surdastri*; & quibus *obtusus* est odoratus vel gustus; & qui *stupent*, ut attacta non dignoscant: interno autem sensu nihil imaginari posse, *stupor* est; difficulter,

ter, *Hebetudo*; absurda, *Delirium*: [delirium verò cum adjuncta febri, *Phrenesis* est; cum tristitia, *Melancholia*; cum furore, *Mania*] obliterata recordatio, *Oblivio*.

308. Motus involuntarius unius membri, *Convulsio* est; minutus & creber, *Tremor*; cutem tantum stringens, *Horror*; validè corpus jactans, *Epilepsia* [morbus caducus]; obrigescens in membro, *Spasmus*; ademtus [unà cum sensu] toti corpori, *Apoplexia*; uni lateri, *Hemiplexia*; uni membro, *Paralysis*: quæ omnia à nervorum obstructione, & prohibito Spiritûs animalis affluxu, proveniunt: qui, si in ipso cerebro circumagitur, *Vertigo* est.

309. Somnus nullus, aut parcus, *Insomnia* est; nimius, *Somnolentia*; continuus, *Veternus*; cum intercepta respiratione, & turbulentissima cõpressoris alicujus somniatione, *Incubus*: qui verò per insomnium surgit & obambulat, *Noctambulus*; qui autem vigilans sensibus est introversis, & oculis inconnivis, in animi raptu, *Ecstaticus* nominatur.

310. Morborum ergò alij dolorem faciunt, ut *Calculus* &c. alij pruritum, ut *Scabies*

bies &c; alij stuporem & insensilitatem, ut *Paralysis*; alij sunt acuti, citissimè perimẽtes, ut *Pestis*; alij lenti [chronici] diuturnitate affligentes, ut *Phthisis*, &c. alij contagiosi, ut quævis *Lues vaga*; alij calore & frigore afflictant, ut in paroxysmo *Febris*: quæ semel tantùm veniens, *Ephemera* dicitur; durans aliquandiu, *Continua*, repedãs per vices, *Intermittens*: & hæc rursũ est, vel *Quotidiana*, vel *Tertiana*, vel *Quartana*; vel *Pestilentialis*, *Bubones* & *Carbunculos* ejaculans; vel deniq; latẽter ac penitissimè ossa depascens, *Hectica*, incurabilis.

311. *Cephalalgia* totum caput infestat; *Hemicrania*, alteram ejus partem; *Odontalgia*, gingivas (acutissimè, cùm infantes dentiunt, quia gingivulæ scindũtur); *Pleuritis* latera pungit: sed moribundorum symptomata sunt, *Stertor lætalis*, *infrigidata membra*, *oculorum procidentia*, &c.

XXXI.
Naturaliũ Defectus:
cum Monstris & Figmentis.

312. Natura interdum deerrat in generati-

ratione rerum: facitq; ut in omni genere quædam *abortu* intercidant; alia nascantur membris *defecta*, vel *superflua*, vel *monstrosa*; vel, etiam *degenerent* in aliud: quod scire etiam confert.

313. *Meteora portentosa* sunt, cùm sangvinē, sulfur, lapides, ranas, & alia insolita, pluit; cùm globi igniti decidunt; cùm acies armatæ, & alia ostenta, in nubib9 visuntur.

314. *Vegetabilia* item, cùm Triticum degenerat in *Secale*, imò in *Lolium*; Hordeum, in *Ægilopem*; Avena, in *avenam fatuam*, &c.

315. In animantium genere *Monstrum*, est animal natum *biceps*, vel *triceps*; *bicorpor*, vel *tricorpor*; item *bigener*, quales sunt *Muli* [Hinni] ex asino & eqva; *Leopardiq;*, ex pardo & leæna; & *Hybridæ*, e fero & domestico sue, prognati.

316. Ex hominibus monstrosi habentur *Hermaphroditi*, quibus sexus est ambiguus; & aliquo membro mutili, aut excedentes, aut aliàs insvetè formati: quibus & immanes *Gigantes*, spithameosq; *pumiliones* (nanos) annumerare licet.

317. Quod narrant de *Phœnice*, ave se-

 ipsam

ipsam exurente, & è cineribus reviviscente; item de *Pelicano*, pullos á serpente occisos vivificante; & de *Boa* serpente ad 120. pedes excrescente, integrosq; cervos devorante; & de septicipite *Hydra*; & de *Gryphe*, quadrupede volucri; & *Harpyis*, avibus obscænis; & de *Centauro*, equo semihomine; & de *Pygmæis*, cum gruibus belligerantibus &c. fabulosa videtur.

318. *Fauni* verò, homines silvani & hirsuti (semiviri & semiferi); *Tritones* item & *Sirenes*, si figmenta non fuerunt, dæmonia fuerunt.

XXXII.

Artes Rusticanæ: primumq; Horticultura.

319. Transeamus ad *Opera humana*: ut videas, quomodo transferant Naturæ opera ad suos usus, *Rustici* in Villis, *Opifices* in Oppidis, *Literati* in Scholis.

320. Ruralium operarum officina est *Villa*, cum *Hortis*, *Agris*, *Pascuis*: ubi curatur, ut naturalia feliciùs procrescant.

321. HORTICULTURA exercetur ab *Hortulanis* (Olitoribus, Arboratoribus,

Topiariis) vel eduliorum causâ, in *Olitorio* & *Pomario*; vel deliciarum ergò, in *Viridario* & *Topiario*.

322. Hortos sepimus *sepimentis*: sive humilioribus, ut sunt *Agger*, ex congestitia humo factus; & *Maceries*, è congerie lapidum acervata; & *Vacerra*, ex una & altera pertica cõstructa: sive altioribus, ut est *Sepes*, è sudibus & vitilibus plexa; vel *Plancæ*, è tabulis ligneis coagmẽtatæ, vel deniq; *Murus*, è cæmento & calce structus.

323. *Olitor*, saturus olera, terram *elapidat*, lætamineq; superjecto *impingvat*: tũ ligone [marrâ], aut bipalio præferrato, *fodit*; pulvinos palâ *adaggerat*; semina per areolas *spargit*; irpicibus, aut rastellis, *consarrit*; si macritas soli, aut ariditas cœli requirit, *rigat*; dein, post factã germinationem, *exherbat* (h. e. impertinenter adnatas herbulas, manibus, vel sarculis, *rũcat*), matura tandem oluscula resecando, aut evellendo, aut effodiendo, *colligit*.

324. *Arborator* plantat *plantarium*: dum aut *seminarium* semine variorum fructuum conserit; aut *Taleas* vel malleolos depangit; aut *viviradices* serit (concinnitas

nitas verò eſt, ſi decuſſatim, hoc eſt, per quincuncem, ſerantur): iidemque viviradicib⁹ clavolas inſerit (quod *inoculare* eſt); inſitos oblinit (quod *emplaſtrare* eſt); atque ſuo tempore germina ſcalpro putat, *Stolones* exputat, nodationes abnodat, & ſi quid exareſieri cœptum eſt amputat.

325. *Muſcoſas, verminoſas, formicoſasvé* Arbores à muſco, erucis, araneis, depurgat: *ſideratas* verò, *carioſas*, *ſteriles*, *effœtas*, vel ablaqveat (hoc eſt, circumfodit, ſummatim aut profundiùs) rurſumque circumaggerat; vel ſtirpitùs eradicat: [reciſa ſiquidem, aut etiam exciſa, repullulant; evulſa, non refruticantur.]

326. *Fructus maturi* aut *decidunt* ultrò; aut manu ſtrictoris *carpuntur*; aut (ſi quô manus non pertingit) perticâ *decutiuntur*; aut arboris quaſſatione *excutiuntur*; & à legulis colliguntur: ſed durabiliores ſunt *ſtrictivi* cadivis, *ſerotini* præcocibus, *vegeti* vietis, *conditivi* crudis.

327. Eduntur aut recentes [aliquando cum termite devulſi], aut fracidi, aut torridi (ut, *Caricæ* & *Uvæ paſſæ*, majores & minores), aut conditanei.

328. Pressurâ *olivarum* exprimitur *Oleum*, in ampullas olearias: amurca verò subtùs sidens, unà cum fracibus, abijcitur.

329. *Topiarius* è floribus selectioribus, plantisq; rarioribus, *Viridiarium* apparat, & opere topiario (id est, ambulacris amœnis, pergulis virentibus, stibadiis, &c.) salientibus deniq; fonticulis, & hydraulis, exornat.

XXXIII.
Agricultura.

330. Agricola panis causâ agrum colit, hoc est, sementi *præparat*, semine *obserit*, frugesq; *demetit*, ac *exterit*.

331. *Præparat*: dum in solo inarato vepres exstirpat; vel aratum, ut fiat *restibilis ager* (qui continuo biennio queat conseri farreo spico) stercorat: *Novale* tamen, quod tum primùm proscinditur, & *Vervactum*, quod alternis annis perseritur, quia requieta & feracia sunt, stercoratione haud indigent.

332. *Arator*, bobus ad *Aratrum* junctis, & stimulo agitatis, tenet lævâ *stivam*, ne in-

ne inter arandum deliret, dextrâ verò *rallam*, quâ glebas amoveat: *Vomer* interim (*buræ* insertus) cum *dentali* terram proscindens, *sulcum* facit: quô peracto, *Versura* fit, toties redeundo sulcatim, donec *jugerum* absolutum, fimusq; subaratus, sit; tum enim rursus abjugat.

333. *Fundum* sic peraratum, aliquantò pòst offringit; tùm iterat & tertiat; atq; si glebosus est, Cylindris supervolutatis, aut occis tractim raptatis, inæquat; in uliginoso agro elices, ad uliginem derivandam, facit: demumq; *arvum* paratũ habet.

334. Hinc *Sator* per areas frumentum sementivum [quod plusquàm aniculum esse non debet] seminat, seminationeq; peractâ, inoccat: tùm sata, dum fruticescunt, ne à zizanijs soffocentur, sarrit. [*Frumentum autumnale vere satum*, Alicastrum *dicitur miscellaneum*, *Farrago.*]

335. Quando segetes flavescunt, *Messis* adest: ubi messores (tanto alacriores, quantò uberior messio) *feculis* frumenta demetunt, demessa manipulatim disponunt, manipulos in mergites *rastris* colligunt, colligantq; *tomicibus*, & congerunt

acer-

acervatim per quindenas; suoq; tempore *mergâ* prehensos injiciunt plaustris, & convehunt in *horrea* [aut saltem congestant in *nubilaria*]; spicilegio relicto egentibus, *stipulâ* verò pascuis.

336. Tum *Titrores* in area frumentum triturant *flagellis*, [olim tribulabant, h. e. *Tribulâ* exterebant, seu exculcabant]: exculsaq; grana subjectando *ventilabris* emundant à paleis, & *verriculo pennato* expurgant ab aceribus, (panis acerosus quem delectet?) & secernunt *incerniculo* ab apludis ac recrementis; demumq; indunt saccis, & inferunt opulentiores *Granarijs*, pauperiores *Cumeris*, hostem metuentes *Cryptis*; stramenta religantur in fasces.

337. *Fundi possessor* hereditarius, elocat quandoq; *Colono* prædium (*Locator cōductori*), pro añua pensione; aut usu fructuario *Mancipi*, ad annos aliquot, (ubi *prædes* postulari & accipi solent); aut *Partiario*, ad proventus dividendos; aut *Villico*, ad villicandum, pro condicta mercede.

XXXIV.

Pecuaria,

338. *Pecorarius* est, qui pecorum curâ victum quærit; *lactarijs* puta, *lanicio* & *carnibus*: providet ergo pecoris *fœturā*, *stabulationē*, *pabulationem*, &c. per pecuarios.

339. *Fœtant* feliciter pecudes, quando matrices seminij boni sunt.

340. *Stabula* sunt, *Ovile*, *Caprile*, *Suile*, *Bubile*, &c. & tralatitiæ caulæ, *Mandræ*, quibus includi solet noctu ovinus grex, ad agros ordine stercorandum: sed alicubi pastoritia turba *mapalia* quoq; sua plaustris circumvehunt.

341. *Pabula* sunt, vel *recentia pascua*, (quo greges & armenta per publicos *actus* prodigi, & in locis compascuis compasci; si verò unus pastui non sufficiat, hincinde dispesci, solent): vel ministrata domi, *herbacea*, *paleacea*, *stramenticia*, interdum & *frumentacea*.

342. Prata dicantur *Fœno*, siq; fuerint siccanea, irrigantur corrivatis rivulis: ubi Gramen desectum aggregatur per strigas, siccatum a. corraditur rastris in cumulos, & acervatur bidentibus in metas, vectatur deniq; vectibus ad fœnilia: è renascente fit *Chordum*.

343. Opi-

343. *Opilio* (pedo & flagro apparatus, imò & molossis, quos contra lupos communit millo) educit pastum Oviariam suam, in qua peculium quoq; suum, peculiari charactere insignitum, habet: *Tonsuræ* verò tempore, oviculæ à tonstricibus lavantur, tondentur, detonsumq; vellus *Lanariis* venditur.

344. *Caprarius* capellas suas frondium virgultis pascit; *Bubulcus* bubus suis (dum in *præstegiis*, aut quibuscunq; septis, stabulantur) pabulum exhibet in *præsepi*, vel *cratibus*: sicut & *Equiso*, *Agaso*, *Mulio*, suo equino, asinino, mulionio, armento; *subulcus* verò subus suis in aqualiculo.

345. Vaccæ præbent lac: quod Villica mulgendo *mulctrâ* excipit, è *mulctrali* per colum *sinis* infundit, postridie innatantem pingvedinem demit, & succussatione vasis *Butyrum* inde conficit, remanēte *Oxygalâ*.

346. E secundario lacte coagulato (coaguli ope condensato) format in casearijs formis *Caseos* (vaccinos, caprinos, ovillos), aut manu solùm pressas, *Metas*; defluente iterùm *sero*: tandem caseos in caseali desiccat.

347. Mactationi destinatæ pecudes segregantur ab alijs, saginaq; (in saginario) opimantur; utq; pingvescant meliùs, genitalia illis inciduntur, unde *Arietes, Majales. Capones* &c.

348. Quia verò pecudes quandoque morbidæ fiunt (oves pulmonariæ, sues grandinosæ, boves coriaginosi, equi hippomane infestati, &c.) *Veterinaria medicina* non ignoranda est illi, qui rem pecuariam curat.

349. Pecoribus accensentur *Aves cohortales*, quæ in chortibus, Gallinarijs, Columbarijs, aluntur; & è quibus plumæ, pro explendis lectulis & culcitris, velluntur: deinde, *Pisces piscinarij*, qui in piscinis, seminarijs, vivarijs, asservantur.

350. *Apes* emittunt quotannis *examen*, (cum addito duce, *Regem* vocant) quæsitum novum *alvear*; ubi *Crates* sexangularibus cellulis struendo, & melligine complendo, faciant *favos*: è quibus (mellationis tempore) mel sincerum effluit, crates verò in *Ceram* liquantur.
[Saccharum *est factitium mel, è medulla Indicarum cannarum excoctum.*]

XXXV.

Artes Alimoniæ frumentaceæ.

351. Inſpectemus jam *Mechanicorum* operas, qui rebus naturalibus introducunt pro comparandis variis commoditatibus vitæ, novas formas.

352. Machinationes ejuſmodi primæ fuerunt circa victum frumentaceum, *Ptiſanaria, Moliteria, Piſtoria.*

353. Antiquitùs n. frumenta tundebant ſolùmmodò *piſtillis*, in *Mortario*, accipientes inde *Ptiſanam*: deinde pinſebant in *Pila, pilo* rudo, aut Græco; unde prodibat *Alica* [Crimnum] & *Lomentum*: horum officina fuit *Piſtrinum*.

354. Pòſt excogitatæ ſunt à machinatoribus *Molæ farinariæ*: ubi Lapis mobilis ſuper immobilem (*meta* ſuper *catillū*) adjuvamine rotarū velociter circumagitatus, frumēta (è ſuperimpendente infundibulo pauxillatī delabentia) in *farinā* cominuit; Excuſſorium verò cilicinum, excernens pollinem in farinariū, furfures ejectat aliò.

 355.

355. *Molæ* istiusmodi primùmm erant *manuariæ* (trusatiles): succedebant *jumentariæ* (asinariæ): hodierno die utimur *alatis*, vento versatilibus, & *aquariis*, ad quas posito in flumine objectaculo aqua derivatur: sed ad majores aquas *Moletrinæ binæ, trinæ, quadrinæ*, &c. fiunt, unde Molitoribus, pro molitura, tantò plus emolumēti accedit. (*Amylū est farina sine mola, sola tritici maceratione, & exculcatione, facta.*)

356. *Pistor* farinam cribro farinario iterùm cernit; affusa v. aquâ & fermento, spathâ ligneâ subigit: decerptasq; de subacta *massa*, aut abrasas de mactra, massulas, depsit, & impositas *pala* per *præfurnium furno* ingerit [proruto priùs igne, *rutabulo*: non enim subcinericios panes coquit, ut olim]: atque ita fit *Panis*, siligineus, similagineus, quandoque etiam biscoctus [buccellatus] nè muceat: *Fermentatus* habet crustas duas, medullamq; intùs porosam; *azymus* est densior & lentior.

XXXVI.

Artes Alimoniæ carneæ.

357. Obſerva porrò Artes, alimoniam carneam ex animalibus veſcis procurantes; *Piſcatoriam, Aucupatoriam, Venatoriam, Lanioniam, Coqvinariam.*

358. *Piſcator* obſidiatur piſcibus: majores ſupernatãtes cõfodit *Fuſcinâ*; minores obnatãtes illicit *Scirpiculis*, aut demerſis *Naſſis* (quô ingreſſis non datur exitus): profũdiores extrahit ex amne *Sagenâ*, aut *Fundâ*; è lacu *Tragulâ*, & *Verriculo* (quæ ab appenſis maſſulis infernè plũbeis merſantur, supernè ſubereis allevantur: macularum verò laxitatem diverſã, pro granditate piſcium, habent) capturæ partem divendit, partem in ſecluſoriis concludit, indeq; cùm opus eſt *Excipulo* depromit; partem muriâ condit, pro ſalſamentis.

359. *Hamiota* hamo piſcatur; cui inditam eſcam quisquis ineſcatus admorſerit, captus eſt.

360. *Auceps*, aucupaturus exſtruit aream, reti aucupatorio ſuperinte ctam, cui *eſcam* offundit: ipſe verò in latibulo ſe abdens, fiſtulâ, vel avicularum *illicum* cantu, tranſvolantes allicit, advolantesq; adobruit, & circumretit: aliquas implicat *viſca-*

tis calamis, amiti expositis, dum illis insidunt, alias impedit *pedicis, tēdiculisq;* & *decipulis*, illaqueatq; *laqueorum transennis*: aliquib9, imitit prædatrices aves: & quas (quocunq; aucupio captas) incolumes videt, incarcerat *Caveæ*, ibiq; pastionem præbet in *canaliculo*, potionem in *potistri*.

361. *Venator* feras venatur: dum aut in scrobes foveasq; pellicit; aut *Canū sagacium* odoratu per vestigia vestigat: [Odoratores *n. nictendo indagāt, & è latebris expellūt;* Vertagi *a. numellis exsoluti, & venatorio cornu incitati, persequūtur*]; aut *indagine* cingens arbusta, in *casses* & *plagas variis* tentas, irretit; & vel vivas capit. atq; in *leporarium* (vivarium) transfert; vel *venabulo* transadigens, interficit.

362. *Lanio* mactaturus altilia pecora [non vescula, vel morbida]; prosternit ea primùm in laniario (laniena) *Clavâ*, mox *Clunaculo* jugulat, & excoriat (deglubit) frustatimq; concîdit: Sues tamen priùs aquâ candente perfundit, radulâq; glabrat: tum in *Pernas, Petasones, Succidias, Offas penitas*, dissecat: suino verò cruore, & visceribus minutim concisis, effarcit *Farcimi-*

cimina: tùm crassiora, *Apexabones* & *Tomacula* (Isicia), *Faliscum*; tùm graciliora, *Botulos* (Lucanicas) & *Hillas*.

363. Veneunt igitur in Macello, *Bubula*, *Vitulina*, *Vervecina*; *Hædina*, *Agnina*, *Suilla*, communiter; rarenter *Bubalina*, *Aprugna*, vel aliâs *Ferina*.

364. *Coquus* esculenta omnis generis coquit: Aves tamen prius deplumat & exenterat; pisces desquamat & exdorsuat, interdum & exossat; induratos tuditibus contundit, & aquâ macerat.

365. Elixanda *ollis* & *cacabis*, *catillisvé*, operculo tectis, elixat: elixata sale & aromatibus [in *mortario* comminutis pistillo, aut in *Catino* conquassatis tudiculâ, aut super *radulam* tritis] condit: Assaturas lardo trajectat, *Verubusq́* [super crateuteria versabundis] suppositâ sartagine, assat: aliqua etiam super *craticulam* torret, aut in *lebete* (frixorio) frigit, [at si prænimium, *cremia* fiunt]: è carnibus particulatim consectis, *Minutal*, *Pastillos*, *Turundas*, facit.

366. Si quid effervescit, ac bullit, *trullâ* futat, ne ebulliat; si spumat, *tudiculâ* aut

rudiculâ despumat: *Fuscinulâ* verò extrahit fervida, *fiscellâ* colat jusculenta.

367. *Cinifio* accendendo igni habet *Igniarium* cum *fomite*, sulfuratis, silice & chalybe: tùm sufflat, buccis aut flabello, prunas collectans batillo: *Focaria* culinam verrit & everrit scopis, vasaq; coquinaria purgat: quæ cùm colluuntur, fit colluvies, eluenda per fusorium (aquariū) ut effluat.

368. Eadem res magis alit jurulenta quàm assa; magis assa, quàm frixa: tosta verò infumata, muriatica, difficilis est concoctionis, nisi adjutu *juris piperati*, aut *juris nigri*, *juris spissi*, *juris gelati*; vel *intinctûs* alicujus: sed *Artocreata*, *Tuceta*, *Tortæ*, ad placitum fiunt.

XXXVII.
Artes Potulentorū.

369. Potio naturalis *aqua* est, fontana, puteana, fluminea: tùm *lac*, serumve lactis: dehinc didicerunt parare *temeta* (potus inebriantes), ut *Mulsum*, *pomariumq;* *mustum*; tandem invaluerunt, *Vinum*, *Cerevisia*, *Cremataq; vina*; quæ quomodo fiant videamus.

370.

370. *Vinitor* plantat *Vineam*: dum collem apricum novellis viticulis (virigineis surculis) obserit: aut *Vites* veteranas traducibus propagat; aut Vitium cacumina inflectendo terræ mergit, ut radicatæ utrinque, pòst discissæ, duæ fiant.

371. *Vitem*, nè ubertate sterilescat, quotannis deputat, ut è *Resece* pullulent *Palmites* novi: qui cùm rarò per se surrecti sint, [licèt capreolis quicquid possunt apprehendant] eos arrigit, & statuminibus alligat; nempe arboribus, aut ridicis, aut transversis canteriolis, & jugis: [unde *Vitis arbustiva, pedata, & canteriata* seu *jugata*, dicitur.

372. Tunc vineam *bidente* pastinat, & repastinat; mox pampinat (h. e. *pampinorum* luxuriantes coles & comas detondet], tandem vindemiat, racematione pauperculis relictâ.

373. *Botros* [scapis abscissos] comportant pytinis in *Torcularium*, conjiciuntq; in *forum vinarium*: tùm calcant, aut pilo ligneo contundunt, & in *lacum* effundunt: unde *Mustum* per qualos in *orcas* (urceos mustarios) defluit, uvorq; reliquus aci-

 nis

nis exurgetur *torculari*: sed (vinum) *lixivum* suavius est tortivo; *mustéum*, dulcius eliquato; *meracum*, fortius diluto; *album*, magis calorificũ rubello, aut helvulo.

374. Abditur in cellas, *cadis* & *doliјs* super *cantherios* (basellas) elevatis: tum relinitur, & promitur *siphunculo*, aut *epistomio*, interdum & elutriatur: sed hornum feculentum est, annotinum defecatum; defrutum vocant *Sapam*; exoletum, *Vappam*; ex aqua & vinaceis factum, *Loram* (seu *poscam* & *acinaceum vinum*.)

375. Præstantiora Vina sunt, *Apianum*, *Malvaticum* (Arvisium), *Canarium*, *Alicanticum* &c. sed *Absinthites*, *Helenites*, aliaq; medicata, facticia vina sunt; *Hippocras*, omniũ aromaticorũ delicatissimum.

376. *Zythi* cocturæ inservit *Lupularius*: qui lupuli *turiones* terræ indit liratim: tùm ad singulos cauliculos depangit *palos*, ut se his circũplicando sursum serpãt: quorũ flores quum maturuerunt, abstringit, &c.

377. *Polentarius* grana frumenti macerat aquâ, donec intumescant: tùm illa in pavimento assiccat, sæpiusq; versat & reversat, usq; dum dissiliendo, germina produce-

ducere cœperent: atq; tùm ea farrario fumario superstrata torret, inq́, dulciculam *bynen* convertit, & in polentario molendino in *polentam* permolit.

378, Huic *Cerevisiarius* lupulum permiscens. in aheno excoqvit in *Cerevisiam* (factu uno 10, 20, 30 cupas): quæ deportata in cellam defecatur: si vero acescat, aut mucescat, infunditur *ampullis* acetariis, & fit *acetum*.

379. Tandem *Destillator*, è Cerevisiæ aut Vini fecibus, vel etiam frumentaceo farre fermentato, prolicit, & per *vesicam destillatoriã* cuprinam, superimpositumq́; *alembicum*, exstillat aquam ardentem, *Vinum Crematum* (sublimatum) dictam.

XXXVIII.
Artes Vestiariæ.

380. *Amictu* nobis ad tegendam nuditatem, & adversus tempestates, opus est; qui fuit antiquis simplex, dum velare caput à sole *Cucullo*, corpus ab algore *Braccâ*, pedes à via cœnosâ aut scrupolâ *Sculponeis* vel *Carbatinis*, & *Peronibus*, acquiesce-

ſcebant: noſtro ævo omnia aliùſmodi, nitidè ad luxuriem uſq;, & habitu multiformi, ſegmentato, acu picto, plumato.

381. Viri obvolvunt alicubi caput *Tiarâ*, alibi circumligant *Mitrâ*, alibi contegunt *Pileo*, ſpirâ & offendice ornato; aut umbellæ cauſâ *Petaſo*; aut domi deſidentes *Galero*; vel frigoris cauſâ *pileo pelliceo*: Fœminæ capillos variè pexos, plexos, in plegmata concinnatos, *tænijs* inſuper, & *redimiculis corollisq;* redimitos, colunt; aut prætegunt *Vittis* & *Reticulis*, vel involvunt *Calanticis*, *Ricis*, *Peplis*.

382. *Indumenta corporis* (ad induendum & exuendum) ſunt, *Induſium*: tùm *Thorax*, cingulótenus pectori aptatus, & lacinijs ſubornatus; aut thorace longior *Tunica*, crurúmtenus demiſſa, ſuccingendaq; ſi laxior & ſinuoſa fuerit: infra Cingulum *Subligaria* ſunt, h. e, aut follicantes *Braccæ* (Caligæ), tibialibus faſcijs ſubſtringendæ; aut arctiora *Femoralia*, crura ſimul munientia: ad amiciendum denique (honeſtatis ergò) ſuperinventa ſunt, *Toga* manicata, & ſine manicis *Pallium*, (fœminis *Palla*, & *amiculum*.)

383.

383. Pedibus calceandis parantur *Socci* molles, vel *Udones* cilicij, & *Sandalia* (Crepidæ subereæ), & *Calcei* (qui, si angustiores, inducuntur pedibus ope inductorij: partes verò Calcei sunt *Solea*, *Obstragulum*, & *Ansa*, cum corrigijs); & *Ocreæ* cum cruralibus; mutatorij deniq; *Cothurni*.

384. Est autem Vestitus *lineus* vel *laneus*, *gossipinus* vel *sericus*, *pelliceus* vel *coriaceus*, nec ullus parari potest sine filis netis: quas autem partes cohærere volumus, connectendæ sunt; seu ligulis adstringendo *nodos* (nexus); seu infibulando *fibulis* uncinulos; seu innectendo alterius oræ *nodulos*, alterius oræ ocellis.

385. *Linum* & *Canabis* ruri seruntur, matura evelluntur, *calycibus* destringuntur, *scapis* residuis in lacunis macerantur, rursumque torrentur, *malleis stuparijs* contunduntur, *frangibulo* conteruntur, ferreoq; *carmine* carminantur: ubi, quod inter frangendū decidit, *cortices* sunt: quod inter carminandum secernitur *flocci* & *stupa*.

386. *Netrices* distribuentes sibi linum factum, superilligant pensa *Colo*, trahentesq; sinistrâ filatim, dextrâ torquent, sive

Fu-

Fusum (cui ad faciliùs se versandum ponduſculum addit *Verticillum*), ſive *Girgillum*: unde fila ducuntur in *Alabrum*, & hinc in *Harpedonem*, è qua glomerantur Glomi; fitq; *Tela*, ad texendum idonea.

387. *Textor* dehinc circumvolvit jugo *ſtamen*, inſidensq; officinæ deculcat alternatim *inſilia*: quo factô, *licia* ſe diducunt, (Nota: ad *Bilicem* duplicato, ad *Trilicem* triplicato, licio opus eſt) illeq; trajectat *radium*, cui panus ineſt: & ſic ſtamini *Tramam* intexit, adactoq; *pectine* linteum denſat (præſertim *Carbaſum*: ſive fuerit vulgare, cannabinum vel ſtupeum; ſive byſſum, & ſindon) donec detextum ſit: decidente ſubinde *titivillitio*.

388. Hæc *Inſolator* inſolat, uſq; dum candefiant: *Sartrix* verò *Interulas*, *Capitia*, *Collaria*, *Focalia*, *Muccinia*, *Strophia*, aliaq; linteamina, inde ſuit; quæ rurſum *Lotrix*, quoties ſordidantur, eluit.

389. *Pannifex* lanam carminat, ſuperq; machina textoria *pannos* contexit, [*Londinenſes*, *Pingves*, *Xylinos* &c.] qui ſi levidenſes ſint, mittuntur in fullonicam, ibiq; à *Fullone* in pilam injecti, & aqua madefacti,

cti, *pilo* conſtipantur: hinc a. exemti extenduntur inter *Jugamenta* uncinulis ferreis, ut exſiccescant: & traduntur *Tonſori*, qui expanſos in tonſtrina forfice tonſoria tondet, & complicat in Volumina.

390. Similiter apud *Sericarium* texuntur panni *ſerici* (bombycini) & *holoſerici*, & *ſubſerici*, & *Attalici*, *Damaſceni*, *Camelini*, *purpurei*, *ſcutulati*, *undulati*, *florulenti*: *Segmentarius* verò pannum ſubtegmine aureo intertextum pertexit.

391. Tandem *Sartor* pannum, ad ſtaturam corporis demenſum, *forfice* perſcindit, ſciſſuras *filo duplato* & *cerato* [ope *acûs* & *digitalis*] conſuit, extremitatibusq; veſtium, nè filamenta diffluant, *Limbum* circumſuit; aut *Lemniſcos* præſuit; paſſimq; (præſertim in Fimbria,) inſtitas obſuit: ſed ubiq; *ſuturas*, nè notabiliter exſtent, ferramento preſſorio complanat.

392. *Connodator* contorſione trium bacillorum ferreorum connodat è filis *Chirothecas*; *Tibialia*, *Subucùlas* &c. *Pileo* autem è lana, baculis coactâ, facit *impilia*, & exinde *Pileos*, & alia, permadere nequeuntia.

393. Exuvias animalium *Lixivio* maceran-

cerantes, & *scalpro* rasorio depilantes, *Cerdones* sunt: quorum *Coriarius* præparat coria duriora, [è quibus *Sutor* ope subulæ & fili picati, setaq; cuspidati, & mustricolæ, calceamina conficit]: *Alutarius alutam* molliorem & crispatam (subsecivas particellas coficiendo glutino adhibens): *Pellio* autem è villosis pellibus *pellicia, rhenones, pileos pelliceos* &c.

394. Calceamenta lacera sarcit (resarcit) *Veteramentarius*; vestes tritas & defloccatas dissuit, inversasq; interpolat & resuit, *Interpolator*: *Centonem* sibi ipsi, ex recisamentis & panniculis, consarcinat Mendiculus.

XXXIX.

Artes Ædificatoriæ.

395. Primitùs habitabatur in *Specubus*, & *Tabernaculis* frondeis: postea construebantur *cæspititia Tuguriola*, & cratitia *Gurgustia*, luto circumlita: demùm ædificare cœperunt ad stabilitatem & magnificentiam, *Fabri*: quorum fabricas, & fabricationes, lustremus.

396. Ligna ædificijs apta, ut ne fiant teredinosa, cæduntur hibernô, Lunâq; decrescente: ubi *Lignator* Arborem securi sternit, ramos decacuminat, è Trunco tigna deformat: [*ramalium segminibus dissectis, & in strues compositis, sarmentis verò collectis in fasces, & in usum foci reservatis.*]

397. *Faber tignarius* (seu *lignarius*) affigit sibi tignum *ferreis ansis* super *cantherios*: tùm illud *amussi* lineat, *asciâ* deasciat & exasciat, (decidentibus assulis) interdum *runcinâ* (serrâ majore) dissecat [scobe recidente]: demumq; compaginat parietes, tigna *clavis trabalibus* configit, *intertignia* musco explet.

398. Tùm *Parietarius* luto paleato, vel acerato, benè proculcato, casam delutat: quandoq; sine lignis etiam, vel cratib⁹ lutamenta effingens, è formaceis parietibus.

399. At in cæmentitia ædificatione aliter proceditur. *Latomus* (Lapidatius) è *Lapicidinis* rutro eruit, aut vectibus effringit, lapides: quos *Lapicida* cælo & tudite ad normā conquadrat, ut componendæ structuræ benè quadrent: sicubi a. saxorū copia non est, coqvuntur (ex intrita) lapi-

 des

des coctiles, *Lateres*, quadrãgulari formâ.

400. *Faber murarius*, posito è solidissimis saxis fundamento, superstruit illi parietes, primarios, medianos, intergerinos, cameratq; testudine conclavia: quæ *Tector* (Crustarius) tectorio trulissat (incrustat), & gypsato marmoratóve dealbat, ac è rudere novo pavimenta ruderat; tùm pavit, aut tessellis consternit.

401. Director ædificii e *Architectus* est, qui secundùm præconceptum, aut etiam delineatum, structuræ exemplar (*Ideam* vocant, & *Modulum* seu *modellum*) structionem dirigit.

402. Domus profundè fundata, benè materiata, firmè trabeata vel murata, intùs *columnis* (nè laquear ruat), extra *pilis* (nè parietes vacillent) affabrè statuminatis, fulta, perstat diu *sarta tecta*: aut si labat, suffulcitur denuo; collapsa verò, aut destructa, restauratur. [*N.* Columna *constat scapo uno, insistitq; basi*; Pilæ *structiles sunt.*]

403. *Domûs partes* ita concipe: In *Vestibulo* (ad anticam) constitutus, habes ante te ædium frontispicium, accedens ad *Januam*, utrinq; erunt postes; & in altero quidem cardines, à quibus *Fores* pen-

dent,& super quos aperiuntur & clauduntur: in altero verò *Claustra*, nempe aut *pessulus*, foramini postis indendus, (quæ simplicissima est occludendi ratio); aut affixus fori *Obex*, obdendus clavo uncinato, posti infixo: aut deniq; *Sera*, sive *Laconica*, sive *pensilis*.

404. Si oppessulatam reperis, pulsa: si Janitor per *transennam*, aut *clathros*, prospectat, aperiri roga: dum introis, pedem attole, nè ad *limen* inferum impingas; caput verò submitte, nè ad *superliminare* allidas: & nè *cardines* strideant, aut fores crepent, lentè move.

405. Ubi pertransiveris *Ostiū*, venies aut in *Cavædiū* [impluvium], aut mox in *Atrium*: unde in *Cōclavia* cætera ingressio patet; aut, si domus fuerit *distega* vel *tristega*, in *cōtignationes* superiores ascēsio, per *scalas*, vel *cochlidia*: per *posticum* exitur aliò.

406. Dum sumus in loco subtegulaneo, inambulamus *Pavimento*, sive id sit fistucatum, sive tabulatum, sive tessellatum: sed *Laquear* nobis impendet, sive tabulatum (& fortè segmentatum) sive fornicatum (testudinatum) fuerit.

407. *Tectum* superponitur columini: estq; vel *compluviatum*, in unam tantùm partem devexum; vel *displuviatum* (pectinatum) in duas; vel *testudinatum*, in quatuor: tegitur a. vel *cespite*, vel *culmine* vel *scandulis* vel *imbricibus*, (tegulis figlinis); quæ omnia imponuntur *Tigillis*, tigilla *Cantherijs*; horum a. divaricata crura incumbunt *Transtris*, transtra rursum incubant trabium *Proceribus*: qui, si progeruntur longiùs, faciunt *Suggrundia* ampla; præsertim in projecturis & *circumcolumnijs*, ad deambulationes pensiles in *Podio*; vel saltem in *Meniano*.

408. Tentavit verò humana industria etiam in abdito substruere, *Cryptoporticus*; & in aërem, *Cœnacula subdiaria* & *Turres* cum fastigijs præaltis; stupendæq; molis *Pyramides*, *Obeliscos*, *Colossus*: & ædificia perplexa, *Labyrinthos*: & ædificia ambulatoria *Pegmata* &c.

XL.

Artes Vtensilium: & Primò argillaceorum & vitreorũ.

409.

409. Veniamus ad *Opificia*, quæ Domos implent UTENSILIBUS, quibus humana vita carere non poteſt: & parantur è *minerali*, aut *vegetabili*, vel *animali*, *materia*.

410. *Figulus* ex argilla benè præparata fingit (Rotæ figulinæ circumactione) *Ollas*, aliaq; figlina; quæ ficta in furno excoquit, & *lithargyro* incruſtat: teſtas tamen ſolidare neſcit.

411. *Vitriarius* format (in vitriaria officina perflatu ferrei tubi) ex arena, cinere, ſale, intenſiſſimo igne liquatis, *Vitreamina*: è quibus *Feneſtrarius* (coordinando ſpecularia vitra inter jugamenta, & applumbando ferrumine ferreo, ne excidant) *Feneſtras* facit; *Laternarius* verò *laternas*, ubi pro inferenda & eximenda lucerna oſtiolum relinquitur.

XLI.

Artes Utenſilium.

metallicorum.

412. *Metallarius* ſcrutatur latentes mineras, ope *Virgulæ divinæ*; tùm ad eas pa-

rat aditionem ope *Fossorum* (metallicorum), qui (intecti bardocucullo caput, & perizomate nates) ingrediuntur fodinas cum succensa lucerna, repertaq; metallicâ venâ, & impactis illi cuneis, decutiunt frusta, extrahuntq; forâs.

413. Hîc *Discretor* saxeas impuritates secernit; secreta *Lotor* elavat; alij ista in *Ustrina* colliquefaciunt, profluitq; Metallum à scorijs liberatum: & quia plerunq; Auro intermixtum adhuc est Argentum, separantur illa ab invicem *Aquâ forti*, demumque seorsim unumquodq; purumputum conflatur in tabellas, vel bacillos.

414 Hîc jam *Fabri follibus* ignem inflando, metalla emolliunt; mollita *forcipibus* eximunt; exempta *malleis* super *incude* cudunt, [dissilientibus quaquâversum *stricturis*]; cusa deniq; laminando, cuspidando, variaque figurando, & ubi opus ferruminando, *Utensilia* conficiunt.

415. *Faber ferrarius* fabricat varia ferramēta; *Claustrarius*, claustra & claves &c. *Serrarius*, serras; *Falcarius*, falces, *Cultrarius*, cultros [quorum aciem *Samiator* samiat]; *Acicularius*, acus; *Bracteator*, tho-

thoraces chalybeos, & loricas è ferreis annulis contextas, &c; *Gladiarius*, gladios; quos *Polio* polit, capulis instruit, vaginis superintegit.

416. *Faber ærarius* è ductitio Cupro cudit, & tiligneo marculo lævigat, æramenta; quæ detrita vicatim discurrentes *Ahenarij* reficiunt: *Flator æris*, ex Orichalco fundit Statuas, & Campanas, pistillo ferreo pulsatiles, & Tormenta, &c: sicut & *Stannarius* stannea vasa, quæ ut niteant, fricaturâ depoliuntur.

417. *Laminarius* è Laminis lampades, &c. *Bractearius* è bracteolis tintinnabula (nolas); *Aurifaber* vasa aurea & aurata (deaurata), argentea & argentata (deargentata), tùm armillas, torques, &c. conficit: scobem & ramenta [quibus interrimenta compensari possunt] è præcinctorio mensæ alligato colligens.

418. *Monetarius* cudit [in officina monetaria] nummos; sed *Falsarius* percutit reprobos, admutilat probos: *Alchymista* v. è sequioribus metallis aurum, arte laboratum, factitare enixè conatur.

XLII.

XLII.

Artes Vtensilium li- neorũ & ligneorũ, & coriaceorũ.

419. *Restio* contorquet è cannabi, stupa, sparto, arborum libris (qui dum virent glubuntur) *restes, funes, funiculosq́;* *Viminarius*, sirpat è viminibus [quandoque decorticatis & exalburnatis] *corbes*; *Cribrarius* facit ex assulis flexilibus, rotundatisque, *cribra*; *capsas* item, rotundas vel ovales, &c.

420. *Doliarius* (Vietor) conficit doliaria vasa, circumvinciens secamenta circulis vimineis: sive fundo uno, ut sunt *Labra* & *Lacus*; sive bino, ut *Dolia*, habẽtia foramẽ desuper, pro infusione liquoris; & deorsum, pro emissione: illud occluditur operculo, hoc obturamento, aut siphone.

421. *Scriniarius* (Arcularius) edolans asseres runcinâ, & deplanans planulâ, adunansq́; impagibus & subscudibus, & circumscalpens scalpro exstantias, conglutinansq́; glutine, & oblinens vernice, parat varia opera tabulata, quandoq; & vermiculata; *Tornator* verò tornatilia &c.

422.

422. E corio utensilia parant, *Frenarius*, *Ephippiarius*, *Marsupiarius*, & qui ligulas capitellis præmuniunt, &c.

423. *Saponarius* coquit è sebo saponem, sebàtque candelas: *Cerarius* è cera fundit faculas cereas, trahensq; lychnos longissimos, funiculorum instar, circumvolvit lychnucho.

424. *Pectinarius*, conficit pro pectendis crinibus *Pectines* (córneos, eburneos, ligneos), raris & densis radijs distinctos; pro comendis a. comis *Pectines setaceos*; sed *Scopularius* concinnat pro vestibus purgandis (è setis, scapo ligneo agglutinatis) *Setacea* & *verricula*.

XLIII.

Artes Itinerum: primùm pedestris.

425. In uno loco non semper hærere possumus, *transire* quoquô opus est: quod si propè fit, & animi gratiâ, *Deãbulatio* est; si per campos aliquid conquirendo, *Peragratio*; si propter peritiam regionum, *Peregrinatio*; si ad habitandum alibi, *Migra-*

tio; ubique autem, si quid nobiscum assumimus manu, dicimur *Transferre*; si humeris, *Portare*; si vehiculis, *vectare*; si comitatu, *Ductare*.

426. Quô ipsismet nobis devenire non libet, aut licet, *mittimus* alios: si ut aliquid nuncient, *Nuncios*; si, ut nunciatricem epistolam deferant, *Tabellarios*; si, ut negotium expediant, *Curatores*.

427. *Trāsmeam⁹* verò terrâ vel aquâ: [pervolitare aëra nondū didicim⁹: nā narratio de volatura Dædali fabella est]: per terrā *vadimus*, aut *gestamur*, aut *vehimur*: per aqvā *vadamus*, aut *natam⁹*, aut *navigamus*.

428. Pedibus ituro *Viatori* expedit esse ocreato, aut peronato, nè collutuletur; & lacernato (penulâ induto) nè compluatur: & quia non omnia sua gestare potest in *sinu*, vel *gremio*, aut *fundá* (astutis loculis) circumcingit sibi *Sacciperium*, aut impōnit humeris *sarcinam*; & in manum sumit *Baculum*, quo se suffulciat; vel saltem decori causâ *Scipionem*.

429. Ingressus *viam*, rectà sine ambagibus proficiscatur, quo tendit, ad *diverticula* ne divertat, aut deflectat; nec *semitæ*

cau-

causâ deserat *viam regiam* (nisi tritus sit *Callis*, & itineris dux, comesvè, fidus ac peritus): nè per *tramites* in devia, aut *salebras* & asprcta, deveniat.

430. *Bivium* & *trivium* semper fallax est (*compita* non æquè seducunt): ergò nè fiat errabundus, sciscitetur obvios, quâ eundum? & quorsum flectendum? utrùm dextrorsùs an lævorsùs?

431. *Offendicula*, nè sint remoræ, devitet; *clivos* altiores (qui cacumen versùs euntibus acclives sunt, retrorsùs declives), nè perambulet; & ubi porrò meare nequit, retrocedat, *fossas* si transilire (nè quidem conti adminiculo) potest, circumeat: sic ibit inoffensè.

432. Ad exteros peregrinaturo opus est *viatico*, propter impensas; (aut certè literis *cambij*, ab aliquo *Collybista*); quandoq; & interprete, si gentis idioma non calleat, & itinerario bono; maximè a. prudentiâ, ut ubiubi fuerit, quôcum sit, attendat, à discessu usq; in reditum.

433. *Prædones* siquidem spoliant, *Piratæ* abducunt, *Latrones* trucidant: sed & in diversorijs, ubi pernoctandum est, sæpe *ho*

pè *hospes* ab *hospite* intutus est, ob *cauponum* quorundam improbitatem.

XLIV.
Equitatio & Aurigatio.

434. Ad parcendum pedibus & viribus (in avehendis & advehendis rebus) cœperunt uti, primò *Jumentis*, deinde *Vehiculis*: quorum rationem vide.

435. *Equitaturus*, soleas offigi curat equo; insternit illi *Ephippium*, & (nè devolvatur) subcingit *cingulâ*: ephippioq; præligat anteriùs *Bulgam*, vel adalligat retrò *Vidulum*, vel appendit *Bisaccium*; mox circumdat capiti *frenum*: *Antilena*, *Postilena*, *Dorsuale*, cæteræq *phaleræ*, si adduntur, ornamento sunt.

436. Tum insulciens pedem *stapedi*, insilit in equum: illiq; jam insidens, & abequitare cupiens, *Calcaribus* eum ad procursum exstimulat, *Habenis* v. pro lubitu flectit, aut pro necessitate retinet ac reprimit: sed *Gradarius* Equitem fert molliter, *Tolutarius* tolutim & subsultim, *Succussator* quassat, *Cæspitator* illi incommodat.

437. Ventum est ad *Vehicula*, jumentis trahenda: quorum quod raptatur tantùm (præsertim per nivalem viam) *Traha* dicitur; quod volutatur super rotas, *Curriculum*: sive unirotum, *Pabo*; sive birotum, *Carrus*; sive quadrirote, *Currus*.

438. *Currûs partes* sunt; *Temo*, antrorsúm prominens; *Jugamenta*, compagem continentia; *Axes*, rotas transeuntes; *Rotæ*, quarum quæq; constat ex *modiolo*, *radiis* duodecim. *absidibus* (curvaturis) sex, totidemq; ferreis *canthis*.

439. Ampliora onera vectãtur *Plaustro*; rudiora, *Sarraco*; homines ipsi, *Rhedã*: quæ levior, *Essedũ* est; dimidiata, *Cisium*; coalsatione operta, *Arcera*; pensilis, *Carpentũ*; delicato insuper opertorio, *Pilentum*.

440. *Auriga*, equos parans aurigationi, avenam *vanno* ventilat, evãnatamq; (cum *defecto stramento*) alligatis ad præsepe capistro, & interseptis per longurios, obsipat, saturatis demùm, *strigiliq;* perpurgatis, indit *Orcam*; atq; si quis mordax est, ora constringit *postomide* (fiscinâ).

441. Dehinc *Parippum* cum *sellario* adjugat *Jugo*; retinacula verò (de *Helcio* depen-

pendentia) annectit *Temonis* extremitati: tùm si non *bigâ*, sed *trigâ*, vel *quadrigâ*, uti placet, præjũgit antecessores, quos ante se loro agat. (*Magnates tamen* Sejugibus, *Reges* Octojugibus, *eoq; pluribus etiam* Rhedariis *utuntur*.

442. Ut *Currus* leviùs currat, *Vector* axes ungit *axungiâ*; interq; aurigandum respectat, nê exorbitet: in cœno si hærescit, nè diu hæreat, & retardetur, plures (equos) subjungit; in præcipiti descensu contrà, nè velociter ruat, & currum evertat, *sufflamine sufflaminat Rotas*; vel etiam equos abjungit.

443. Ubi transitus non datur Vehiculis, per loca prærupta & invia adhibentur *clitellaria* (sarcinaria) *jumenta*, inprimis tardi, ad inequitandum inepti, *Caballi*: quibus impositæ *Clitellæ* sustinent onera, gausapibus cooperta.

444. Sed & in plano, cui celerare opus, *Veredis* (Celetibus) potiùs utitur, (sed hîc intertriginem cave) quàm *Vehiculis meritorijs*: atq; ut sit expeditior, non aggravat se impedimentis, quæ festinos tardant.

XLV.

XLV.
Natatio & Navigatio.

445. Obstant identidem viantibus *flumina, lacus, maria*; superanda omnino, si quis ulteriùs velit; sive *Ponte*, aut *ponticulo* (lapideo vel sublicio), sive aliter: quod jam recensebo.

446. Innatare aquis discunt super *scirpeam ratem*, arboreumvé *corticem*; tùm *sine cortice, manuum pedumq; jactatu*; sunt & nonnulli, qui *aquam calcare* sciunt, ut sine madefactione vestium (quas supra caput tenent, pectoribus tenus mersi) tranare queant: *Urinatores* v. sub aqua (piscium instar) natant: Ergò si flumen propter brevitatem vadari potest, transitur; sin, transnatur.

447. Adorsi postea sũt *Rates* struere: ex cõpactis obiter, solutilibusq; rursũ, tignis: tùm *Lintres*, ex unico excavato ligno: tandẽ cõpactiles ad firmitudinem *Naves*; quæ habent *proram & puppim, carinam & stegam* (foros), cum gemino *latere*;

quo-

quorum intercapedo *alveus navis* dicitur.

448. Minores naviculæ sunt; *Cymba*, *Lembus*, *Oria*, piscationi subservientia: tùm *Ponto*, quô flumina trajiciuntur, ad trajectum, (sed *Portitori* solvitur portorium): major *Navis*, vel onera vehit, & *Oneraria* (*Geraria*, *Gestoria*, dicitur; vel homines, *Vectoria*; quam, si cubiculata est, *Phaselum* vocant; celeritati destinatam, *Celocem* (Liburnicam).

449. Navigia propellere nesciebant olim aliter, quàm *Remulco*, aut *Contis*, aut *Remis*; construebanturq; naves *Actuariæ*, *biremes*, *triremes*, *quadriremes*, &c. quas impellebant (ad scalmos, per interscalmia, transtris considentes, & remigātes) *Remiges*; dirigebant v. *Proreta* ad proram, & *Gubernator* ad puppim, *clavum* tenentes.

450. Tandem adverterunt *Ventos jugari posse*: quibus captivandis excogitarunt *Vela*, & velis dispandendis *Malos*, *Antennas*, *Versorias* (Rudentes); ventiq indicem *Tritonem*; & plagarum Mundi monstratorem, *Compassum nauticum*, cujus indicatione per tenebras etiam navigare, Oceanumq; ipsum enavigare, possunt.

451. Ergò Vento adspirante velificant: & quidem *Vento secundo*, passis plenisq; velis; *Vento adverso*, obliquant vela & cursum, alternatim; *Vento nullo* (cùm *malacia* est, seu tranquillum salum) velificatio non procedit.

452. *Procellâ* obortâ, nè abripiantur à fluctibus, aut impellantur ad scopulos, allisaq; Navis demergatur, *Nautæ* contrahunt ac demittunt vela, (etiam recidunt, instante discrimine) & sic tutiùs jactantur: si nihilominùs *Naufragium* videtur imminere, faciunt jacturam rerum, tametsi preciosarum, non sine miserabili naufragantium lamento.

453. Aliàs ne in brevia incidant, explorant profunditatem æquoris *bolide*, cauteq; *Cautes* & *Syrtes* præternavigant.

454. Quia v. Navis onerata firmiùs innat, navigaturi vacuâ, saburrant eam [non tamen nimio plùs, nè pessum eat]: & quia quaquâ tandem fatiscens (per fissuras, & assamentorum commissuras) transmittit *nauteam* in *sentinam* confluentem, eam inde *Antliâ* exantlant.

455. Navigatione peractâ, *Nauclero*

 nau-

naulum exsolvitur, & quisq; domum festinat: quem sui videntes incolumem, sospites ipsi, *avere* jubent (Ave *illi dicunt.*)

456. Navis ipsa, detracto *aplustri*, deducitur in *Portum*; aut, si locus est importuosus, linquitur in *Statione*, super *anchoris* stans, & sic fluctuans: rimosa v. subducitur in ipsum *Navale*, ut à *Naupegis* reconcinnetur.

XLVI.

Machinæ tractoriæ.

457. Cùm necesse habeamus transportare, non tantùm nosmet ipsos, sed & alia, multarumq; rerum moles excedat corporis nostri vires, quæsita sunt juvamina à *Machinis*: attingemus quasdam.

458. Qnantum *Bajuli* duo *palangis* ferre possunt, potest unus, si onus *Paboni* impositum, ante se trudat, suspensâ à collo ærumnulâ: sed longè majora provolvi possunt *phalangis*.

459. Dum *Vectiarius* sustollendæ rei *Vectem* subcuneans, illi incumbit; aut *Succulam* suppingens, versat; aut ductarios

rios funes, orbiculis *Trochleæ* interplicatos, protrahit; aut *Ergatam* Vectibus circumversat; aut *Tympano* inambulans *Geranium* rotat, mira præstantur.

460. Validæ compressioni serviunt omnis generis *Pressoria*: quorum omnium hæc est ratio, quòd *Prela* duo rem violentissimè pressare adiguntur: à *Torculari*, circa *Cochleam* (spiratim striatam) versabili, viq; retorto: qui rursùm findere aliquid vult, *Cuneum tudite* adigens dissilire cogit.

461. Ad pangendum *sublices* adhibentur *Fistucæ*; sive ansatæ, manibus humanis attolendæ & demittendæ, sive extollendæ trochleis, ut fortiùs feriant.

462. Artificiosi *Aquæductus* cogunt aquam per Canales in quamvis altitudinem ascendere; *Archimedea* v. *cochlea* aquam descendendo ascendere facit: sed *Aquagia* campos inundatos exsiccant.

463. Dimetiendis horis reperta sunt *Horologia*: primùm *solaria* (*Sciotericæ*), ubi *Gnomonis* umbra lineas horarias transmeando; tùm *aquaria* (*Clepsydræ*), ubi aqua de vase in vas transtillando; mox *arenaria* (*Clepsammia*), ubi arena itidem

furtim transfluendo, præterlabentis temporis moram ostendunt.

464. Admirere verò inventum e *Automati*! In quo rotulæ, seipsas, libramentis suis, morant, eaq; circulatione horarũ replicationẽ (fortè & dierum, mensium, totiusque Planetarij cursûs) repræsentant.

465. Perscrutantur etiam, quomodo machina verè automata, suomet ultroneo tractu indesinenter procedens, nec inten di opus habens, confabrefieri possit (*Perpetuum mobile* nuncupant): quod an inventu possibile sit, ambigitur.

XLVII.

Oblectatoriæ Artes.

466. Non discedemus ab Artificibus priùs, quàm percensuerimus quædam reperta, merè *Lautitiei*, & *Sensuum oblectamentis*, servientia.

467. Limpidâ se identidem mundare, *munditiei*, est; fuco fucare, *lenocinij*: repertaq; sunt *Balnea*, ubi squalores deluimus desidentes in *Labro*: aut *Vaporarium* ingressi, conscendimus *Sudatorium*, & elicimus

mus sudorem, strigmentaq; defricam⁹ *cilicio*; & extergimus *linteis*: transeundoq; è *Caldario*, vel *Tepidario*, in *Frigidarium*, & vicissim, delectationibus indulgemus.

468. *Balneator*, quandoq; scarificat, affixis [auxiliatu flammæ] *Cucurbitulis*: sæpè & barbas comasq; adornat (quod idē *Barbitonsor* facit), dum displicatū capillitium partim *forpice* attondet, partim *novaculâ* detōdet, partim *Volsellis* evellit; relinquēs à fronte dependulam *Capronam*, aut erectam sursum *Cristam*, *Cincinnos* verò *calamistro* crispans. [Adscititia sutilium capillamentorum *Cæsaries*, *Caliendrum*, (Galericulum) dicitur, oculorum impostura].

469. Ut nos *res tactiles* in cubatu leniter afficiant, inventi sunt *Lectuli*, & *Storeæ*; *Pulvinaria* plumea, & *Cervicalia*, quibus supercubamus [munditer si lodices candidæ superinsternuntur]: tùm *Stragula* ac *Tegetes*, quibus nos supertegimus: *Conopéa* denique, quibus lectulos circumsepimus, ne quid obturbet.

470. Pro *commodiore sessitatione* sunt *Scamna* & *Sellæ*, cum fulcris ac scabellis; & *Bisellia*, fulcro ambifariam versabili; tùm

 Cul-

Culcitræ, tomento fartæ: olimq; ad mensam *lecti discubitorij*, & *pulvilli subalares*: pro gestatione deniq; *Lectica*, & aliæ *gestatoriæ sellæ*, quibus aut morbidi, aut voluptarij circumgestantur.

471. *Gustatui* dant blandimenta *Cupediæ*, quas *Cupedinarij* parant: ut sunt variorum generum *Placentæ, Liba, Lagana, Moreta, Obelij, Taganitæ, Scriblitæ, Crustulæ, Panis saccharites* [in Clibano coctus]: *Libaq; piperata*, quæ *Dulciarius* facit.

472. *Odoramenta, Smegmata, Suffumigia*, voluptuosis paritat *Ungventarius*; quibus illi delibuti fragrant.

473. *Aurium delinimentum* est à modulatione Vocis; seu *vivæ* [de quo infrà, inter Artes liberales] seu *organorum Musicorum*: quæ pulsantur, vel plectuntur, vel inflantur.

474. Pulsantur: *Tympanum, Campana, Tintinnabulum, Cymbalum, Crepitacula* quæcunque itemq; *Crembalum*, quod interfertum dentibus, adhalatu gutturis, allisuq; digiti, tintinnat.

475. Plectuntur organa, quæ *Fidibus intenduntur* ac *remittuntur* (intensæque acutum

tum sonant; laxæ, graviter) idque vel digitis (seu utriusque manûs, ut *Nablium* & *Sambuca*; seu alterius, alterâ chordas moderante, ut *Testudo* & *Cithara*); vel plectro, eóque aut setaceo, ut *Fides*; aut rotatili, ut *Lyra*; aut prosiliente pinnulâ, *Instrumentum*.

476. Inflantur verò quædam ore, ut *Fistula*, à Fistulatore; *Tibia*, à Tibicine; *Tuba*, à Tubicine; *Lituus*, à Liticine; *Buccina*, à Buccinatore; *Gingras*, à Gingritore; *Tibia utricularis*, ab Utriculario: quædam follibus, ut *Organon pneusticum*, ab Organario pulsatum.

477. *Oculorum oblectamina*, sunt rerum visibilium, aut repræsentationes ad vivum, aut transformationes ad placitum: sive in plano, *Picturâ*; sive in materia solida molliori, *Ficturâ*; aut duriori, *Sculpturâ*. *Cælaturâ*, *Fusurâ*: sive denique per specula, *Speculariâ*.

478. *Pictor* delineat graphio, & perpingit penicillo ac pigmentis, cujusvis rei effigiem: quem imitantur quodammodo *Illuminatores* crepundiorũ: *Encaustæ* item, expingentes Vitra igni, & *Phrygiones* (*Acupi-*

cupi-

cupictores, *Plumarij*) versicoloribus filis [quandoq; & Unionibus ac gemmis] acu pingentes, variasq; figuras Vestibus intexentes: maximè autem *Chalcographi* subtilissimas imaganculas æri incidentes, chartisque imprimentes.

479. *Fictor* [Plastes] confecto (vel ex argilla) certæ formaturæ modulo, infundit ei ceram, vel gypsum, vel metallum, eoq; modo pereleganter defingit *fusiles imagines*: sed *Sculptor* liberâ manu *Statuas*, (sive pusillas, sive colosseas), exsculpit: *Cælator* a. quas vult species insculpit materiæ; sive opere scalpturato, per eminentiam; sive incavato, per abscedentiam, quomodo in cælandis *Sigillis* proceditur.

480. *Specularius* parat è vitris *Specula*, quibus homines seipsos speculentur: & *Conspicilia*, quibus res acriùs perspectent: & *Telescopia*, quibus longè dissita, ut propinqua, prospectent: & *Microscopia*, quib9 pulvisculos ut montes obtueantur: & *Prismata*, rerum colores milleformiter transfigurantia: & *Specula urentia*, &c.

481. *Speculum* optimum illud erit, quod objectas species eâdem qualitate & quanti-

tita-

ritate reddit: quod fit, cùm benè perpolitũ est,& prorsùs planum,neq; concavum, neque convexum: hoc etenim rem ostendit minorem quàm est, illud inversam.

XLVIII.

Artes culturæ humanæ.

482. Lustravimus *manuarias*(rurales & mechanicas) artes, quibus res exanimæ ad utilitatem, vitæq; nostræ honestamenta, elaborantur: quia v. ipsa quoq; humana natura sine politura brutescit, (hinc incultæ gentes barbaræ sunt) expoliendiq; necessariò sumus, *Mente ad Sapientiam*, *Linguâ ad Eloquentiam*, *Animô ad Honestatem*; veni, & quomodo id fiat specta, ut ipse etiam perpoliaris.

483. O quàm *desiderabile est sic excultum esse!* habere nimirùm *Mentem illuminatam*, rebus depictam: & posse in aliorum rursùm mentibus easdem *depingere Sermone! & habere Actiones passionesq; suas in potestate sua!* (Angelica hæc est perfectio, considerata in plenitudine sua!)

484. Si participare hanc felicitatem vis, tu adolescentule, adesto! sed ut tria illa tibi exoptes solida, non fucata: cupiens evadere non sciolus, sed sciens; non locutulejus, sed eloquens; non simulatus Virtutum cultor, sed serius.

485. *Culturæ* hujus *instrumenta* quia sunt *Libri, Scholæ, Conversatio erudita*, hujusq; causâ susceptæ *Peregrinationes*: narrationem de istis audi singulatim, commonstrabo quid & quomodo ibi fiat; ut gustum habeas omnium *scibilium*.

XLIX.

Literæ & Libri: *cum Artibus ministratoriis*, Typographia, *& aliis*.

486. SCRIPTURÆ modus fuit apud Ægyptios per *notas hieroglyphicas* (figuras rerũ pictas); apud Chinenses per *Characteres reales* (quos etiam diversæ nationes intelligunt, & suâ quisq; Lingvâ legit): apud nos in usu sunt LITERÆ, minimorum oris sonorum notulæ, è quibus complicatis fiunt *Verba, Sententiæ, Libri.*

487. Antiqui *Literas* incidebant saxis malleo: postea insculpebant codicibus ligneis (præsertim faginis), in tabulas sectis ac dolatis, cælte: dehinc exarabant stylo ferreo (vel osseo) in *Libris tiliaceis*, aut *foliis*, palmeis, oleagineis, malvaceis, & linteis, ceratis aut gypsatis: postmodum calamo Nilotico inscribebant *Pargamenæ*, è tergoribus ovinis paratæ.

488. Subsequenter inventa est *Papyrus*, è Papyro planta bicubitali, habente tunicas (ut habet Cepe) latissimas, & prætenues; quas acu discriminatas, aquâ glutinosâ perfusas, prælo complanatas, sole desiccatas, digerebant in *Scapum*, viginti plagulas habentem: nunc in usu est *Charta*, quam Chartopœus è linamentis & linteamentis concerptis, inq; pulmentum contusis, & in folia diductis, (intermistâq; collâ, nè charta perfluat) conficit, ac in *Volumina* minora, & Volumina majora, colligit.

489. *Atramentum scriptorium* confit è gallis quernis, & vitriolo; quib⁹ (ad prohibendum mucorem) aliquantùm aluminis adinditur: *Penna* v. (anserina vel pavonina) eligitur caule amplo, firmo, per

trans-

translucido ; quam qui ſcriptioni temperat, eradit ſcalpelli tergo ſcabritiem , detruncat caudam, reſcindit utrinq; caput, ut fiat biſurcatum : tùm diffindendo facit crenam,pro attramẽti defluxu ; iſtamq; inciſuram rurſum circumcidit , & æqualiter præcidit, demùm intingit , ac ſcribit ; poſt in *Calamarium* recondit.

490. *Hebræi* ſcribunt á dextra ſiniſtram verſùs ; *Græci*, & cæteri Europæi, à ſiniſtra dextram verſùs ; *Indi* perpendiculariter, à ſummo ad imum, æquè legibiliter.

491. Priſci habuerunt *Tachygraphiam*, qvâ ſermonem,non ad calamum dictantis, ſed liberè loqventis, excipere manu ſufficiebant , per SIGLAS : nos habemus etiam celeriorem, quâ unus unâ die plùs deſcribit, quàm aliâs mille Scribæ poſſent, TYPOGRAPHIAM. (Sed & *Stenographiam* nuperrimè exſuſcitarunt Angli.)

492. *Typographus* diſtribuit per loculamẽta æneos *typos*, permagno numero conflatos : qvos *Typotheta* indidẽ ſigillatim expromens , in Verba,Verſus,Paginas,componit ; ferreis marginibus (nè dilabantur) coarctat, prælo indit, atramento impreſſo-

rio

rio (quod ex fuligine & oleamento parat) illinit, chartis suppositis apprimit, & sic integras schedas momẽto exscribit: [correctissimè omnes si modò primum exemplar fuerit correctum, & *Corrector* non fuerit idiota, aut iners]: expleto verò Exemplarium numero, typos rursùm per cellulas suas disjectat, ut denuò promtè in alium textum coagmentari possint.

493. *Librarij* olim chartas agglutinabant alias aliis, convolvebantq; in Volumina: nunc eas *Bibliopegus* (Compactor) compingit in Codices: dum singulas philuras (rarioris chartæ) aquâ aluminatâ tingit, siccatas complicat, malleat, consuit, dorso conglutinat, demarginat, tegmentis (coriaceis, membranaceis, papyraceis) circummunit, adversaq; latera clausuris (uncis aheneis) fibulat, aut ligulis (scorteis, vel sericeis) connectit, grandioribus etiam umbilicatas bullas affigit.

494. *Bibliopola* vendit libros in *Bibliopolio*: *Bibliothecarius* eosdem congestat in *Bibliothecam*, & adscribit Catalogo, & disponit per forulos ac repositoria, & exponit ad usum super pluteos.

495. Ab exteriore forma *Liber* est vel *Chartæ integræ*, vel plicatæ in *quadrum*, (aut in sex, octo, duodecim, sedecim, folia): *columnatus* item, aut *lingvatus*; atq; si grandior est, quàm ut unâ compacturâ comprehendatur, in *Tomos divisus*.

496. Interiores *Libri partes* sunt; *Inscriptio* (seu *Titulus*), *Dedicatio*, & *Præfatio* (quâ argumentum edisseritur), interdum & *Elogia*: tùm *Tractatus* ipse, in Sectiones dispertitus: dehinc *Clausula*, cum *Indice* contentorū, aut etiam erratorum.

497. Libri scriptor, dicitur *Author*; primum scriptum, *Autographum*; inde transscripta, *Apographa*; *Editor*, si simul *emendator* fuit, *Censor*: cujus est judicare de germanitate scripti (an non sit supposititi-um, ex toto, vel ex parte); & Lectores admonere de genuina lectione, (si exemplaria dissonent), veroq; omnium sensu; sive interscriptis glossematis, sive separatis annotationibus.

498. *Liber* benè elaboratus *fit vendibilis*, recuditurq; sæpiùs: sed videndum, ut Editio semper sit auctior, vel saltem correctior: noxiosi verò (libri) utinam nulli evulgentur!

L. Scho-

Parentum ac Præceptorum persona secundum Deum est charissima: cum nec pro illorum beneficiis reddi ipsis sit æquivalens.

L.
Scholæ.

499. Transfundendi Eruditionem è Libris in homines Officina, SCHOLÆ ſunt: ubi omnes, qui vitam ſapienter ordiri, & proſperè tranſigere, optant, exerceri neceſſe habent, non in Literatura ſolùm, ſed in omnibus quæ humanam naturam perficiunt: nempe ut rectè *Sapere*, rectè *Agere*, rectè *Loqui*, prædiſcant.

500. Qui docet, *Doctor* eſt; qui diſcit, *Diſcipulus*: quorum ille ſi doctus ſimulq; *Didacticus*, (cui doctrinam aliis communicandi gnaritas adſit, & promtitudo), hic a. *docilis* & diſciplinoſus (quotidie aliquid novi reſcire ac addiſcere avidus) fuerit, uterq; habebit delicias, *Scholaq;* fiet *ludus*, dum operæ ludibundis peragētur utrinq;.

501. Erit hoc, ſi uno tempore nonniſi unum agatur, nè diſtrahantur Senſus: & ſemper *gradatim* eatur, quomodo res ab invicem pendent: Docensq; præmōſtret cujusq; rei (noſcendæ aut faciendæ) exquiſitum *exemplar*: illudque perſpicuis

præ-

præceptis explicet; & *imitari* mox jubeat: Discens v. exemplar intueatur avidè, & informationem de illo percipiat attentè, & mox exprimere accuratâ imitatione studeat; *Magistro adstante*, & *ne aberret providente*; aut, *si aberrare videt, corrigente*: *Condiscipulis* verò, quotquot fuerint, assistentibus; ut in quo emendatur unus, in eo hallucinari dediscant, mendasq; deſvefiant, omnes.

502. Hæc manuductionis identitas eam habet commoditatem, ut Pædagogus unus in pulpito stans, erudiendæ quantævis catervæ satisfaciat: hi autem, dum omnia palàm omnibus fiunt, mutuâ æmulatione seipsos certatim excitent, & acuant: atq; sic ingeniosi proficiant potenter, tardiores verò, ipsâ exercitiorum assiduitate, difficultates quoq; superent: quod *Examina* ostendent.

503. Adjungitur tamen institutioni *Disciplina*, nè ob indulgentiam obrepat incuria, vel desidia, aut dissoluta licentia: ergò qui negligenter agit, increpatur; qui desidiosus est, ferulâ castigatur: sed in quo malitiosa obstinatio deprehenditur,

tur,

tur, dignus est à morigerorum consortio secludi, nè pravitate inficiat alios.

504. Ludimagister tamen cavebit esse plagosus, potiùs diligentibus recreationes honestas, spatiationes, collusiones, libēter (non invitè) permittet; adeoq; utilia providēdo exercitia, ipsemet colludet.

505. Scholarum infima, *Trivialis*, pro Elementariis est, quorum sensus circa res sensuales exercendi sunt: dehinc *Gymnasium* (Scholam classicam vocant) pro iis, qui Lingvas & liberales artes discunt, & circa rationes rerum noscitandas exercitandi sunt: tandem *Academia*, pro iis, qui absolutam Eruditionem, [rerum scilicet intellectum purum] quærunt; ubi *Professores quatuor Facultatū* (*Philosophiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, Theologiæ*) hoc dant operā, ut inde prodeāt humanæ vitæ magistri, *Philosophi, Medici, Jurecōsulti, Theologi.*

Academia.

LI

Philosophiam esse magistram virtutis et virtutis parentem, Cicero.

Philosophia.

506. PHILOSOPHUS investigat cau-

Philosophia naturalis recte dicitur practica. Haec pars philosophiae quae juste ac beate vivendi rationem tradit a peripateticis varie appellatur. ab aliis ethice sive philosophia moralis; ab aliis politice sive civilis: ab aliis practice sive activa.

ſas rerum, *quid, unde, cur*, & *quomodo*, unumquodq; ſit: qui, dum circa univerſales & abſtractas omnium rerum ideas occupatur, dicitur *Metaphyſicus*; circa corpora naturalia, rebusq; concretas formas, *Phyſicus*; circa rerum proportiones, *Mathematicus*; circa hominum mores, *Ethicus*; circa ſermonis rationem, *Philologus*.

507. *Metaphyſicus* contemplatur res à priori; non ut jam ſunt, ſed ut poſſibiles erant, antequam erant: perſcrutans, quid hoc ſit *Eſſe*, aut *non-Eſſe*; *Fieri*, aut *non-Fieri*; *Exſiſtere*, aut *Vaneſcere*; *Durare*, aut *Perire*, &c: quid item ſit rerũ *identitas*, *diverſitas*, *contrarietas*, &c; & quib⁹ modis poſſit *Ens enti* jungi, aut ab illo ſejungi; vel *Entia* plura ſibi conglobari, ad ipſam usq; rerũ *Univerſitatẽ*, extra quam nihil ſit.

508. *Phyſicus* conſiderat res à poſteriori, prout eas in Mundo videt: ut quâ vi fiant, operentur, alterentur, &c. intelligat: cujus intelligentiæ ſummus apex eſt *Magia*; peritia ſcilicet producendorum effectorum [occultâ applicatione activorum ad paſſiva]: hujus a. monſtrum, ſunt *præſtigiæ*, quæ incantationibus & excantationibus

nibus peraguntur; meræ ſatanicæ illuſiones, ſtrigibus relinquendæ.

509. *Ad philoſophandum* neceſſaria *requiſita* ſunt, *Senſuum acrimonia*, *Rationis ſagacitas*, & *Hiſtoria rerum vera & plena*: quippe prænoſſe priùs oportet aliquid eſſe, quàm in ejus eſſentiã, vel cauſas, inquiras.

animi pars imperans est ratio.

LII.

Matheſis: primumq́;
Arithmetica.

510. Philoſophiæ viam adaperit MATHESIS: perveſtigans rationem Numerorum, in *Arithmetica*; & Menſurarum, in *Geometria*; & Ponderum, in *Statica*.

511. *Arithmeticus* res numeroſas, quoties obtingunt, induſtriè tractans, per *Numerationem*, *Additionem*, *Subtractionem*, *Multiplicationem*, *Diviſionem*, *Proportionumq́; regulam*, omnia ſua peragit.

512. Ruricolæ computant ſimpliciùs, per *Paria*, *Decuſſes*, *Duodenas*, *Quindenas*, *Sexagenas*; ſubtiliùs Arithmetici, per *Unitates*, *Decades*, *Centenarios*, *Millenarios*, *Myriades*; recentiores etiam per *Tonnas*,

 & *Mil-*

& *Milliones* : Unitas n. decies repetita facit *Decem* ; decies decem, *Centum* ; decies centum, *Mille* ; decies mille, est *Myrias* ; decem myriades, *Tonna* ; decem tonnæ (i. e. millies mille) *Millio*,

513. Notæ numerales Græcis non aliæ fuerunt, quàm Literæ alphabeti sui, α. β. γ. δ. &c. Romani septem literas solùm adhibuerunt, I, V, X, L, C, D, M: Arabes ingeniosè excogitarunt decem *Cifras*; quibus numerosissima quæque [vel arena maris] exprimi possunt: tandem inventi sunt *Calculi*, super *Abacum* disponendi. (*Ex. gr. si quis dicatur habere* mille, sexcentos, octoginta quatuor *aureos, id sic annotabitur*,

Romanis numeris,	Arabicis Cifris	Calculis
M DC LXXXIV.	1684.	[abacus with counters])

514. Numerus *Par* dicitur, qui in duas æquales partes dividi potest, (ut 2, 4, 6, 8, &c.) ; *Impar*, qui non potest, [ut 3, 5, 7, 9, &c.] ; *Fractus*, qui partem ruptam habet, ut sesquialter [$1\frac{1}{2}$]

LIII.

Geo-


Geometria.

515. *Geometria* rerum magnitudines explorat præcisè: nè nos aliquid (apparendo majus aut minus, propiꝰ aut remotius, altius aut humiliꝰ, quàm est) decipere possit: quod potissimùm ad mensurãdas rerũ longinquitates & capacitates conducit.

516. Peragit mensiones suas per *Puncta, Lineas, Figuras, & Instrumenta* certa, quibus ista emetitur: quæ percipe theoreticè & practicè.


517. *Linea* incipit à puncto, & desinit in punctũ: estq; *in seipsa* vel *recta*, ut ——; vel *curva*, ut ⌒; *spiralis*, ut ; *alteri* v. lineæ vel *parallela* ut ═; vel *obliqua*, ut : vel *perpendicularis*, ut ⊥

518. Ex linearum concursu fit *Angulus*, qui est vel *rectus*, quem efficit linea incidens perpendicularis, ut est in subjecto Schemate angulus A C B; vel *acutus*, recto minor, ut B C D; vel *obtusus*, recto major, ut A C D.



519. Figurarũ simplicissima est *circularis*, tùm *triangularis*, inde *quadrangularis* &c.

520. *Circulus* fit ex unica ambiente linea, quam vocant *Circumferentiam* (ut hîc, B D C H): medium ejus punctum, *Centrum* (A): lineam à centro ad circumferentiam, *Radium* (A H, vel A C): hunc a. ad oppositam partem protensum, & circulum æqualiter dissecantem, *Diametrum* [B A C].



521. *Triangulum* fit è tribus lineis: estq; vel *Acutangulum*, cujus omnes tres anguli acuti, [ut △]; vel *Rectangulum*, cujus unus rectus, [ut ◺]; vel *Obtusangulum*, cujus unus obtusus, (ut △).

522. *Quadrangulum* est quadrilaterum: id autem vel *quadratum*, □; vel *oblongum*, ▭; vel *rhombus*, ◇.

523. *Figuras* regulares corporum sic accipe:

cipe: *Orbis* est gyratus; *Globus* rotundus; *Cylindrus* teres; *Pepo* ovalis; *Pomum* orbiculatum; *Pyrum*, & quidvis conicum, turbinatum; *Cubus* quadratus, (licet sexlaterus, & octaugulus); *Tribulus* triquetrus.

524. *Mensuræ distantiarum* ita sunt: *Grana papaverea* quatuor faciunt *hordeaceum* unum; hordeacia totidem, *Digitum transversum*, Digitus cum triente (1$\frac{1}{3}$) *Pollicem*: quatuor digiti *Palmum*; hi tres, *Spithamam*; quatuor, *Pedem*; quinque, *Palmipedem*; sex *Ulnam* (cubitum, sesquipedem): Pedes duo cum semisse faciunt *Gradum*, seu *Gressum* [h. e. *Passum minorem*]: quinque, *Passum majorem* (Geometricum), qui idem est cum *Orgyia*: pedes decem dant *Perticam* (*Decempedam*); passus Geometrici centum vigintiquinque, dant *Stadium*; octo Stadia (h. e. mille Passus) *Milliare Italicum*; hæc a. quatuor, *Milliare Germanicum*; sesqui milliare Italicum, *Leucam Gallicā*.

525. *Mensuræ capacitatis* apud Romanos sic erant: pro *liquidis*, quatuor *Cochlearia* (seu ligulæ) faciunt *Cyathum*; horum tres, *Quartarium*; isti duo, *Heminam*; ha-

harum duæ, *Sextarium*; hi sex, *Congium*; congij quatuor, *Urnam*, quantùm vir ferre potest; urnæ duæ *Amphoram*, [seu *Quadrantal*], quantùm duo commodè bajulant: Amphoræ viginti *Culeum*, quantum plaustro vehi solet.

526, *Aridorum mensura* minima fuit *Cyathus*: horum sex erant *Hemina*; heminæ duæ, *Sextarius*; sextarij duo, *Modiolus* hi quatuor, *Modius*; modij duodecim, *Medimnus*. (Sed arida herbacea *manipulis*, *pugillisq́*, metiuntur.)

527. Lineæ rectitudinem, aut curvitatem, explorant extensâ *amussi*, vel applicatâ inflexibili *Regulâ*; Anguli rectitudinem *Normâ*; situm horizontalis plani *Libellâ*; erecti a. plani *Perpendiculô*: Circuli exactionem *Circinô*: Vasis capacitatem *Perticâ cylindraceâ*, cui numeri stereometrici inscripti sunt.

528. *Distantias metiuntur Opticè*, per lineas visivas, ope *Quadrantis*: dum ex duabus stationibus per pinnulas radij versabilis rem distantem prospectando, ex quantitate Trianguli, quod in suo instrumento effici vident, colligunt qvantitatem Linea-

nearum Trianguli majoris, quod inter duas stationes & rem visam efficitur.

529. Talem mensionem distantiarum vocant *Geodæsiam*: atq; si fit in plano (ut agri) *Longimetriam*; si sursum (ut montis) *Altimetriam*; si deorsum, (ut putei) *Profundimetriam*.

530. Dum a. Geometra, cur visio subinde fallat, (ut res sub aqua, & per vaporem, videatur major, quàm est, nec suo loco); cur item ab oculo remotior appareat minor, donec disparear, nec non causas pelluciditatis & opacitatis, perspicuitatis & obscuritatis, &c. examinat, *Opticus* vocatur.


LIV.

Statica.

531. Staticus ex perpensa rerum gravitate, earundem intùs soliditatem, & dehinc pretiositatem, probat, vi *Librarum* & *Ponderum*.

532. *Libræ partes* sunt; *Librile* (seu *Scapus*; & *Jugum*) A B C; tùm in centro librilis *Axiculus*, super quem fit libratio, B:

& *Ansa*, à qua jugum pendet, D; & ansæ apertura; *Agina*, quâ *Examen* (h. e. lingula scapo infixa) transit.




533. Libræ autem, & pensuræ, ratio duplex est: primam vide in *Bilance*, habente centrum in jugi medio: unde necessariò sequitur, ut imposito lanci utriq; pondere æquilibri, æqualiter ponderent; secus præponderet gravius, deorsumq; vergat; Levius verò se attollat, tantô magis, quantô alterum prægravat.

[*N B. Bilancem maximam vocant* Trutinam *minimam, ad superinjectum momētum mobilē, quâ nummi pēsiculātur*, Lanculam.]

534. Alteram Libræ formam spectabis in *Statera*, librationis centrum extra scapi medium habente: cujus consequens est, ut in-

ut inter librandum radius protensior, (A C) majores faciat ascensiones & descensiones, quàm radius minor, AB: eoque ponderum ad invicem commensus idem sit qvi arcuum.



535. Usus horũ talis est: *Libripens* imposità re librandâ alteri lanci, gravat alteram ponderibus, donec ad æquilibrium (seu æquipondium, quod examen aginam æquans ostendet) veniatur :] in *Statera* v. suspendit rem delibrandam ab uncino, in B; pondusculumq; in radio opposito, incisuris dimenso, huc illuc promovet, ad æqvilibritatẽ usque; illud n. centro admotum minus, amotum inde plus, ponderat.

536. Pondusculum levissimum, Libellæ dans momentum, vocant *Granum*; grana quatuor faciunt *Siliquam*; hæ qvinque, *Scrupulum*; scrupula tria, *Drachmam*; dra-

chmæ

chmæ quatuor, *Semunciam*; octo, *Unciam*; unciæ duodecim, *Libram*: (mercalis tamen libra est sedecim Unciarum); centū libræ, *Centumpondium* [seu *Centenarium*.]

LV.
Astronomia.

537. Qvid ergò numerant, mensurant, ponderant, Philosophi? Omnia: sunt tamen illis *solennissimæ dinumerationes, dimensiones, collibrationesq́,* (1) *Cœli*, in Astronomia: (2) *Terræ*, in Geographia: (3) *Temporum*, in Chronologia: (4) *Cogitationum*, in Logica, Mnemonica, Prognostica: [5] *Actionum moralium*, in Ethica: (6) *Sermonis*, in artibus Philologicis: qvæ omnia percurramus obiter.

538. *Astronomus* cotemplaturus astra, nè quid clam se istîc fiat, disterminat sibi Firmamentum in regiones certas; & per has transitiones Siderum observans, construit Hypotheses, quarum ope eorundem siderum cursus in futurum calculet.

539. Disterminatio cœli fit per imaginarios Circulos; qvorū primarij sunt *Æquator*

tor, *Tropici*, *Zodiac⁹* &c, quos tu ita cõcipe.

540. Stellas ire circulatim, quotidiana reditio ad loca eadem indicat; ergò cœlum est volubilis sphæra: ergò habet axem, circa quem revolutatur: ergò & *polos* duos immobiles, *Septentrionalem* & *Meridialem*: inter quos (in medio Sphæræ) finge circulum maximum, erit *Æquator*: parallelosq; huic duos *Tropicos*, qvos Sol describit altissimus (æstate), & humillimus (hieme): viam a. Solis annuam, à Tropico hoc ad Tropicum illum (intersecantem duobus locis Æquinoctialem) vocant *Zodiacum*: cujus rursũ poli circuitione qvotidianâ describunt circellos Polares.

541, Habes in ipsa cœlesti machina invisibiliter positos, & cum illa revolubiles, Circulos: sed sunt alij cuilibet loco proprij, & immoti, *Horizon* & *Meridianus*.

542. Ubiubi stas, prospectans circumcirca, vides *Horizontem*: confinia scilicet hemisphærij superioris ab inferiore: cui⁹ centrum est ubi tu stas; poli autem, punctum in cœlo tibi verticale, *Zenith*, & oppositum huic (sub terra profundè) *Nadir*: duc v. iterum circulum per Polos mundi,

Ze-

Zenith & Nadir, erit *Meridianus*, (ad qvem delatus Sol, facit nobis meridiem.)

543. Quod attinet Astrorum cursum, is uniformis est Fixis omnibus (quasi uno eodemq; Orbe vehantur): inter quas primæ magnitudinis sunt 15 (quindecim), *Arcturus*, *Lyra*, *Sirius*, &c; secundæ, 45, (quadraginta quinq;); tertiæ 208 (ducentæ octo); quartæ, 475, (quadringentæ septuaginta quinqve (; qvintæ, 216, (ducentæ & sexdecim); sextæ, 49, (qvadraginta novem); obscuræ insuper novē, & nebulosæ qvinq; : omnes simul (qvas in Europa videre possumus) præterpropter 1020 (mille viginti): sed per Telescopia longè plures.

544. Redactæ sunt in certas Configurationes (Constellationes): qualia sunt *duodecim signa Zodiaci*, characteribus suis ita insignita; ♈, *Aries*, (stellis constat 19); ♉, *Taurus*, 44, (inter quas sunt *Plejades*); ♊, *Gemini*, 31; ♋, *Cancer*, 28; ♌, *Leo* 39; ♍, *Virgo*, 40; ♎, *Libra*, 15; ♏, *Scorpio*, 27; ♐, *Sagittarius*, 32; ♑, *Capricornus*, 27; ♒, *Aquarius*, 33.; ♓, *Pisces*, 35.

545. Extra Zodiacum sunt signa Borealia, *Ursa minor*, stellarum 8; *Ursa major*, 32; *Draco*, 33; *Hercules* 48; *Cygnus*, 31; *Cassiopéa*, 25, &c. Inter Australia signa maximè conspicuus est *Orion*, 39; *Canis major*, 18; *Canis minor*, 7, &c &c.

546. Compertum habetur, sicut ☉ & ☽ (*Sol & Luna*) pro centro circumrotationis suæ habent Terram, ita reliquos Planetas qvinque habere Solem: quem ambit ☿ (*Mercurius*) orbe minimo, quadrimestri tempore; ♀ (*Venus*) duplo ferè majore, mensibus novēdecim; ♂ [*Mars*] tam amplo, ut Terrā quoq; circumeat, sesquianno; ♃ (*Jupiter*) ampliore etiam, annis duodecim, minùs bimense; ♄ (*Saturnus*) amplissimo, annis viginti novem & semestri: qui omnes licèt semper in motu sint circa Solem, quia tamen aliâs apogæi, aliâs perigæi sunt, videntur nobis jam *directi*, jam *retrogradi*, jam *stationarij*, cum Fixis fixè procedentes.

547. Progrediuntur itidem per Zodiacum, at non tam exactè ut Sol: excurrunt enim à Solis via hinc & illinc (Boream versùs & Austrum versùs) plus & minus.

548.

548. Dividunt a. Astronomi omnem circulum [æquè parvum ut magnum] in 360 (tercentũ sexaginta) gradus, hosq; rursùm singulos in 60 (sexaginta) minuta prima; & quodlibet horum in 60 secunda &c, usque ad decima minuta (seu scrupulos).

549. Calculando igitur Astrorum motus, conficiũt *Ephemerides*: h.c. consignationes ad singulorum dierum horã meridianam, ubi quisq; Planeta futurus sit, & quô ad invicẽ *Aspectu*: qui sunt, *Conjũctio*, in eodem signo & gradu, ☌; *Sextilis*, distantia per duo signa, ✱; *Quadratus*, (seu *Quadratura*) per tria signa, □; *Trigonus*, per quatuor, △; *Oppositio* per sex, ☍.



550. Inprimis a. (Ephemeridibus consignantur) Luminarium *Eclipses*, postquã in causas, unde fiunt, penetratũ est: nempe Solis deliquium contingere in novilunio, quum inter nos & Solem intercurrens

Lupa,

Luna, illum opaco suo corpore obnubit, h. e. nos inumbrat: Luna v. eclipsatur in plenilunio, quãdo opposita Soli, incurrẽsque in umbram Terræ, obnubilatur: quod ut non accidat quotmensibus, facit Lunæ extra Solis viam Eclipticam] exspatiatio.

551. Ultima Astronomiæ pars *Computus* est Fastorum: [*quô & spectat dierum Hebdomadæ à Planetis denominatio, ut dicantur* dies Solis, dies Lunæ, dies Martis, dies Mercurij, dies Jovis, dies Veneris, dies Saturni.]

552. Menses sunt, *Januarius*, *Februarius*, *Martius*, *Aprilis*, *Majus*, *Junius*, *Julius*, (Qvintilis), *Augustus* [Sextilis], *September*, *October*, *November*, *December*: qvorum primo, tertio, qvinto, septimo, octavo, decimo, duodecimo, dantur dies 31; reliqvis, 30: Februario 28, & anno bisextili [qvum dies unus intercalatur] 29: anno verò embolimæo accessio fit mensis addititij embolimi, h. e. decimæ tertiæ lunationis. [*In* Calendario *Romano quilibet mẽsis dies numerat ante* Calẽdas, Nonas, Idus.]

LVI.
Geographia.

553. Ut ne simus ignari domicilij nostri, efficitur per [1] *dimensionem terræ*, in longum & latum; [2] *disterminationem Regionum* habitabilium & inhabitabilium; [3] *descriptionemq́;*, quid egregium hîc, illic, isthic, obveniat; sive pictis *Tabulis Geographicis*, [aut *Globo terrestri*], sive *enarrationibus historicis*.

554. *Terram esse globosam*, patet, quia ab Oriente in Occidentem undiq; versùm Sideribus ambitur, & maribus circumnavigatur; transversim verò euntibus Poli mundi elevantur & deprimuntur, unde & *Globi terreni magnitudo* percognoscitur: nempe quia tendenti ab Austro in Boream (aut retrò) singulis qvindecim milliaribus Germanicis polus Arcticus attollitur, Antarcticus devergit, (aut contrà) gradu uno: evincitur, totum Terræ ambitum (graduum 360) esse 5400 milliarium; diametrũ ejus, 1800; semidiametrũ (à superficie Terræ ad centrum ejus) 900.

555. *Latitudo* Terræ æstimatur ab Æquatore versùs Polos, utrinq; per gradus 90: *Longitudo* v. ab Occasu in Ortum, per integrum circuitum, 360 graduum:

ini-

initio sumto à primo meridiano, quem ad fines Europæ (in insulis *Canariys*) constituunt.

556. *Ex latitudine* prodeunt quinque terrestres *Zonæ*: media, interjacens Tropico Cancri, & Tropico Capricorni, vocatur *Torrida*: extremæ duæ *Frigidæ*, intra circulos polares comprehensæ: totidemq; *Temperatæ*, inter has frigidas, & torridam illam, alterutrinq; sitæ.

557. *In æstuosa* [Zona] propter perpetuam Solis verticalitatem, vehementissimi sunt ardores, perpetuansq; æquinoctium: contrà *in gelidis* plagis, propter continuam Solis collateralitatem, vehementissima frigora; subq; ipso Polo sex mensium dies, totidem nox: *in tractibus temperatis* grata est alternatio tempestatum, cum successivis dierum ac noctium incrementis ac decrementis.

558. Unde inoriuntur Climata, per unius semihorij interstitium: nam qui longissimum diem habent horarum $12\frac{1}{2}$ (duodecim cum dimidia), habitare dicuntur sub climate primo; qui horarum 13. sub secundo: & ita consequenter.

 559.

559. *Continentes*, maribus à se invicem disterminatæ, quinq; recensentur; *Europa, Asia, Africa, America, Magellanica*: quarum singulæ continēt *Regiones* vastissimas (tùm *maritimas*, tùm *mediterraneas*, in meditullio sitas); circa se a. *Insulas* plurimas, Gentibus & Lingvis dissociatis repletas: unde Tellurem undique habitari, aliosq; alijs esse *Antipodas*, jam constat.

560. Europæi incolæ sunt: *Hispani*[cum sibi cōterminis *Lusitanis*] *Galli, Belgæ, Angli, Scoti, Hiberni, Dani, Sveci, Norvegi, Lappones* (accollæ maris glacialis), *Russi* [Moscovitæ] *Lithvani, Poloni, Bohemi, Germani, Itali, Siculi, Dalmatæ, Hungari, Græci, Valachi*: Asiani sunt *Turcæ, Arabes, Armeniani, Persæ, Indi, Chinenses Scythæ* [nunc Tartari]: Africani, *Ægyptij, Barbari, Abyssini*[Æthiopes albi], *Mauri* [Æthiopes atri], *Cafres*, &c. Americani, *Mexicani, Peruviani, Brasiliēses*, &c. nudi & investes: Magellanici nobis adhuc incogniti sunt.

561. *Montes* celebrati sunt; in Europa, *Alpes, Pyrenæi, Carpatus*, &c. in Asia, *Taurus, Caucasus*; in Africa, *Atlas* & *Montes Lunæ*: *Flumina* v. famosa; in Europa, *Danubi-*

nubius [seu *Ister*, binominis enim est] *Borysthenes* &c; in Asia, *Ind9 Ganges*, *Oby* &c. in Africa, *Nilus*, septem ostijs in mare se exonerans; in America, *Maragnon* &c.

562. *Urbes* inclytæ sunt; in Europa, *Constantinopolis*, *Roma*, *Venetiæ*, *Lutetia* [Parisiorum], *Lisbona*, *Londinum*, *Ambsterodamum*, *Praga*, *Cracovia*, *Mosqva*, &c; in Asia, *Alepo*, *Bagdet* [cis Euphraten], *Ormus*, *Goa*, *Cambalu*, *Quinsay*, &c; in Africa, *Alcair*, *Fessa*, *Maroco*, &c; in America, *Mexico*, *Cusco*, *Lima* &c.

LVII.

Chronologia cum Historia.

563. *Chronologus* supputat, quâ ætate Mundi hoc illudvè acciderit, & quantùm præsens tempus distet à rerum exortu, vel alia quapiam observabili periodo; ut, ubi jam simus, & quid ante nos gestum fuerit, nè simus nescij.

564. *Epocha communis*, unde annorum series numerentur, jure debuit omnibus esse ab Orbe condito: sed qvia istud ini-

tium plerisq; fuit incompertum, assumsit quælibet gens alium memorabilem terminum; suppputaruntq; *Judæi* olim ab exitu suo ex Ægypto, nunc à desolatione Hierosolymæ; *Græci*, ab Olympiadibus, quas celebrari qvinto qvoq; anno [inclusivè, aut quarto exclusivè] *Iphitus* instituerat; *Romani*, ab Urbe condita; *Christiani*, à nato Christo: Turcæ, à fuga Mahomedis [vocant *æram Hegiræ*] &c; *Reges* denique auspicantur æras suas à cœptu Regnorum suorum.

565. Priscorum ruditas non habuit alias *Historias*, præter quas sibi narrabant, aut erectis quibusdam monumentis (ut dispositorum hincinde lapidum, ligatorum in fune nodorum. &c.) posteris innuebant: veniebant tamen nihilominùs res in oblivia, aut transformabantur in fabulas: demùm postquam increbuerunt literæ, cœperunt res gestas unâ cum circumstantiis (ne quid affictícij, aut subdititicii, irreperet) inferre in *Commentaria.*

566. Placetnê autem tibi *Cchronicorum* quoddam breviarium audire? singularia quædam carptim memorabo, de præcipu-

cipuis mutationibus generis humani.

567. Primordia ipsa inauspicata nobis fuerunt! quia *Adam* cum sua *Eva*, ad imaginem DEI facti, & Creaturis dominari jussi, concesso privilegio abusi sunt: primigeniusq; Adæ, cui nomen fuit *Caino*, truculentus fratricida, occiso *Abele*, tradidit se cum tota sua progenie impietati, ejusq; imitatione actutùm omnes.

568. Indoluit DEUS, quòd fecisset hominem, immissoq; *Cataclysmo* delevit omnes; excepto *Noâ*, cum suis in Arca servato, A. M. (h. e. Anno Mundi) 1657: sed priùs ad se pios eripuit, inter quos fuit *Enoch*, vivus translatus in cœlum: cæteri primævi valdè quidem longævi fuerũt, nullus tamen attigit millesimum annum.

569. A filijs *Noæ* disseminatæ sunt familiæ gentium, à *Semo* Asiatici, à *Japheto* Europæi, à *Chamo* Africani, & [ut probabile est] Americani: cùm A. M. 1757 (centesimo post Diluvium) cæpisset ædificatio turris Babel, unde orta fuit Lingvarum confusio, & Gentium dispersio, rursumq; inchoata recollectio sub Regibus, quibus præcelluit Assyrius, *Ninus*.

570. Tertiô inde seculo', qvum *Sodoma* & *Gomorrha* ob spurcissimas libidines igne cælitùs demisso subvertebantur, Loth miraculò ereptus fuit; Uxore respectante, & in statuam salis versâ.

571. Quadringentis pòst annis (A. M. 2453.) *Moses* eduxit populum Israëliticum ex Ægypto, per mare rubrum, sicco pede; submerso *Pharaone* cum exercitu eos insequente: dehinc *Israëlitæ* annis 40 pascitabant in deserto *mannâ*; dumq; pro obtinenda terra *Canaan* pugnabant, ad preces *Josuæ* Sol occiduus stetit toto die.

572. Circa A. M. 2790. claruit *Samson*, tantâ virium pollentiâ, ut manu leonem discerperet, peramplumq; ædificium uno nixu cōvelleret: cujus tempore *Troja*. post decennalem obsidionē (ob raptum Helenæ) excîditur: proximo inde seculo *David*, Regum pientissimus regnat; illi verò *Salomō*, mortalium sapientissim9 succedit.

573. Circa A. M. 3040, *Elias* propheta claudit & recludit cœlum precibus igneoq; curru rapitur in cœlum: A. M. 3240, *Ezechias* tria miranda impetrat; *primò*, ut ei (jamjam moribundo) vitæ anni quin-

quindecim adjicerentur: *secundò*, ut Sol visibiliter fieret retrogradus: *tertiò*, ut in exercitu *Sennacheribi*, regnum ejus vastantis, unâ nocte trucîdarentur ab Angelo 185000.

574. A. M. 3360. *Nabuchodonozor* ob superbiam conversus fuit in belluam, ut septennio pererraret montes, gramine pastus: in cujus filio desiit Monarchia Chaldeorum, transiitq; ad Persas, sub *Cyro*.

575. A. M. 3492, *Xerxes* educit contra Græcos *exercitum ter & vicies centenorum millium*, & vincitur tamen: centesimo a. & quinquagesimô inde añô *Alexander Magnus*, eversâ monarchiâ Persicâ, de subjugato Orbe triumphat, juvenis 32 annorum, derepenteq; moritur: (cujus tempore confectura chartæ reperta est.)

576. Sub decursum quarti penè millenarij, arripiunt *Romani* (edomitis undiq; Regibus terræ) *imperium Orbis*: cujus primus Monarcha fuit *Julius Cæsar*, hinc *Augustus*, sub quo (A. M. 3970) nascitur CHRISTUS.

577. A. Ch. [Anno Christi] 324 *Constantius Imperator* fit Christianus, ædifi-

cataq; Constantinopoli, transfert eô sedē, & constituit *Imperium Orientale*, occupatum pòst [A. Ch. 1453] à Turcis, qui Mahomedem [natum A. C. 571] sequuntur.

578. Circa A.C. 1300. innotescere cæpit *vis Magnetis*, quâ se ad polos mundi obvertit: quod ansam dedit fabricandi *Pyxidem nauticā*; cujus ope alterum Orbis hæmisphæriū detectū, totusq; Mundus navigationib⁹ pervius factus est: ut Gentes priùs seclusæ, & sibi invicē ignoratæ, communicatione utilitatū colere jam possint.

579. Sequuta est [A. C. 1442] inventio *Typographiæ*, cujus beneficio *Libris impletur Mundus*, & quicquid sciri potest, protrahitur in lucem: quæ utraque ars, [*Nautica* & *Typographica*], ad diffundendum *Sapientiæ lumen*, & fundandum inter Nationes *Sapientiæ commercium*, accommodatissimum est medium; si modò Gentes non se invicem vilipenderent: & cur? ubiq; aliquid boni & mali est.

LVIII.

Logica.

580. *Logicus* intendit in processum Cogitationum, ut eas evagari non permittat, aut reducat mox in viam: ars necessaria, si ulla! Cujus si optas videre epitomen, præbe te attentum.

581. Quicquid meditationi objicitur, (de imperceptis n. meditari non possumus) aut est *ignotum* (quod scilicet nescitur, an sit, vel quid sit, vel quantum sit, quale, ubi, &c); aut *incertum*, (de quo nimirùm dubitatur, nùm sit; vel nùm sit id, quod esse dicitur, aut putatur; vel nùm tantum, tale, ibi, &c); aut *confusum* (qvum videlicet multa simul menti se offundunt, eamq; obruunt.)

582. Dialecticus igitur, laborans *ignorata evestigare, dubiorum veritatem* aut *falsitatem deprehendere, indigestaq; in ordinem redigere*; pertentat omnia vel *sensu*, si res coràm haberi potest; vel *ratiocinatione*, si rei clarè non prostantis aliqua tamen adsunt indicia: vel alienis *testimonijs*, si aliter nequeat.

583. Quando inexploratũ explorat Ratione, perqvirit ea quæ circa rem sũt: *Causas*, [finalẽ, formalem, materialẽ, efficientem] & *Effe-*

& *Effecta; Subjecta* & *Adjuncta; Consentanea* & *Dissentanea; Similia* & *Dissimilia; Diversa* & *adversa*, seu *Contraria*: ex his demùm exstruens seu *Definitionem* accuratam, seu *Descriptionem* qualemcunque.

584. Tum progreditur ad rei *Divisionem*, bimembrem, trimembrem, quadrimembrem, &c, (prouti se res dat: Exempli gratiâ, Homo dividitur *bipartitò*, in Animam & Corpus; Corpus *tripartitò*, in caput, truncum, artus: Annus *quadripartitò*, in Ver, Æstatem, Autumnum, Hiemem), ut omnia particulatim videat.

585. Est a. *Divisio*, aut *Distinctio*, quâ res à seipsa, aliter & aliter considerata, distingvitur, (ut, idem Homo, infans à puero, juvene, sene): aut *Partitio*, quâ Totum dividitur in partes, (ut, Homo in Corpus & Animam): aut *Distributio*, quâ genus in species dispescitur, (ut, Homo in marem & fæminam.)

586. Ex inventis cogitatibus fiunt *Theses*, sive *Sententiæ*, quibus jam aliquid de aliquo affirmatur aut negatur: in quarum unaquaque tria concurrunt, *Subjectū*, *Prædicatum*, interveniensq; *Copula*: (ut, *Logica*

gica—est—discenda) : quæ tria si necessariò cohærent, fit effatum indubitatæ certitudinis, *Axioma*.

587. Si quis a. dubitat, an *Prædicatum* de *Subjecto* (sive, *terminus major* de *minore*) rectè affirmetur, vel negetur, probat, assumto *termino medio*, ut (1) *Logica* est (2) *discenda*, quia (3) *utilis*: facitq; inde *Syllogismum*, per tres propositiones, è tribus terminis, ter transpositis, constructas : quarum prima, *Major*, ratiocinij basin proponit, sic ; *Utilia sunt discenda* : subsumit *Minor*, *Logica est utilis* : sequitur *Conclusio*, *Ergò Logica est discenda*.

588. Ita ex præmissis & concessis Propositionibus duabus, infertur tertia, quâ incertitudo tollitur : [Notabis a. interdum præmissarum alteram dissimulari, expressè non poni, subintelligi tantùm, fieriq; Syllogismum defectivum, *Enthymema* : ut, *Logica est utilis*, *Ergò discenda* ; vel, *Utilia sunt discenda*, *Ergò & Logica*.]

589. Quæstio magnoperè controversa, & in utramque partem disputabilis, dabit *Disputationem* ; ubi alius pro affirmativa parte, alius pro negativa, argumentatur, alterq;

alterq; alterius argumenta & objectiones solvit, donec veritas patescat: sed *Disputator captiosus*, qui argutatur, [h. e. argumentatione fallaciter detortâ illudit,] *Sophista* est.

590. Quando indisposita, indiscreta, confusim se oggerentia, discernenda sunt, aut disturbata redigenda in ordinem, *Methodus* est, habens tres summas leges: *primam*, ut eatur à notioribus ad ignotiora (h. e, à Toto ad partes, hinc ad particulas; & à generalioribus ad specialiora): *secundam*, ut omnia cohæreant, quomodo ab invicem fluunt, ut notio notionem trahat [sicut in catena annulus ab anulo trahitur]: *tertiam*, ut omnia exprimãtur verbis perspicuis, nihil ambiguitatis habentibus.

591. Secũdùm has regulas *Logicus* procedens, si *sophismata* in verbis latitare animadvertit, Voces obscuras declarat, ambiguas distingvit, indeterminatas determinat, indefinitas limitat, generales restringit, si quid largiùs sumi possit, nominatim excipit; omniaq; rationibus evincit, ut Conceptus clari sint: potenter sic tenebricosa dilucidans, paralogismos refutãs, inordinata digerens.

592. Sed propria cogitata ita perſpectè contexere, *Syntheſis* eſt; aliena retexere, *Analyſis*; alia cum aliis conferre, *Syncriſis*: quarum inſcientia facit perplexitatem.

LIX.

Mnemonica.

593. *Memoria*, ſcientiæ noſtræ conditorium, etiam excoli poteſt, ad perceptorum citam impreſſionem, firmam retentionem, promtamq; redditionem.

594. Poſtquam experimẽtis deprehenſum eſt, eam notiones concatenare, & per veſtigia recognoſcere, invenerunt *Mnemonici* machinamenta, certas *Imagines*, per *loca* certa diſpoſitas, quarum intuitu [per tenebras quoque, & abſentiam], fortiſſima fit imaginatio, & prævalida retinentia, earundemq; reiteratione ad miraculum velox reminiſcentia.

595. Sed hæc *Localis Memoria* creditur debilitare judicium, precipuum hominis bonum; & facere ex homine pſittaccum, recitatorem alienorum: tutior ergò *Memoriæ cultura* fuerit, attenta Rerum ipſarum

rum in loco proprio, & forma propria, intuitio, pensiculata dijudicatio, crebra iteratio: immorando nempe rebus, & praxi rerum, quantùm opus.

LX.

Prognostica.

596. Desiderium præsciscendi futura, innatum humanæ menti, adinvenit artes divinationis: non tamen sine admistione vanitatis.

597. *Physiognomon* n. conjectat futuros evêtus è lineamêtis [*speciatim* Chiromantes, *è lineamentis manuum*; Metoposcopus *è lineamentis frontis*]; *Oneromãtes* v. ex insomnijs.

598. *Astrologus* inquirens astrorum in sublunaria influxum, erigit ad quodvis datum tempus *Schema cæli*; è quo, Planetarũ tunc futuros aspectus considerãs, cõstitutionem tempestatis, fertilitatem annonæ, & similia contingentia, prædivinat: quin & è *positura siderum* sub nativitatis horam, de nati vitâ & morte, sanitate & morbis, temperamẽto & moribus, fortunâ & infortunio, cõscribit prognosticon.

599. Antiquata jam sunt *Paganorum auguria*; ubi Augur ex avium garritu, aut volatu; & *Aruspicina*, ubi Aruspex ab inspecta ara; & *Extispicium*, ubi Extispex è dispectis extis sacrificiorum; & *Sortilegium*, ubi Sortilegus ex projectis sortibus, vaticinabatur; & quæ plures ejusmodi illicitæ *hariolationes* fuerunt.

600. Interdicta quoque est *Magia infamis*, ubi Magus cum genijs malis colludens; & *Necromantia*, ubi Necromantes diabolum sub alicujus demortui personâ evocans, & adjurans, arcana scitatur: sed viro sapienti tam periculosâ curiositate neutiquam opus est, qui experientiâ rerum edoctus, multos effectus in suis caussis prænosse potest: Unde scitulum illud, *Omnis bonus Philosophus (Medicus, Jureconsultus, Theologus) vaticinator.*

LXI.

Ethica.

601. Præcellentissima Philosophiæ pars ETHICA est; informans hominem de moderamine sui ipsi⁹, quomodo in tumultu re-

tu rerum, quæ nos circumſtrepunt, imperturbatus animo, & corpore ſanus, conſcientiâq; lætus, nec ſibi nec aliis gravis, ſine damnoſa indigentia, ſub Numinis favore, vivere & mori queat.

602. Vis hoc etiam ſcire? Compendio dicam: *Sapientia*, *Virtus*, *Innocentia*, ſunt quæ hominem tranquillant & lætificant, amabilemq; & laudabilem reddunt; *Stultitia* contrâ, *Vitium*, *Noxa*, perturbant, meritoq; odibilem & vituperabilem faciunt.

603. At verò *Virtutum ſtudium*, *Vitiorumq; odium*, non intruditur nobis nudis præceptionibꝰ vel interdictionibꝰ, laudationibus vel vituperiis, imò ne quidẽ præmiis & pœnis: perſpectum habere oportet penitùs, quàm imaginem DEI in nobis perficiat Virtus, quàm deſtruat Vitium.

604. *Virtus* conſiſtit in mediocritate: *Vitium* in exceſſu vel defectu: nam excedere decorum, aut ab illo deficere, transgredi utique eſt; licèt transgreſſionum gradus ſint.

605. Nempe, ſi quis improbè agit incogitantiâ *Delictum* eſt; ſi cogitatè, *Facinus*; ſi ſtudiô, *Nequitia*; ſi malitioſè, *Sce-*

Scelus; si enormiter, *Flagitium*; si ut ægrè faciat alicui, *Perversitas*: perversum à malitiæ non pudet, & qui consvetudini vitiosæ, sensim obrepenti, non resistit, inemendabilis fiet, seq; ipsum perdet, & nomini inuret maculam indelebilem.

606. Tu, si regere te vis aptè, necesse habes præcognoscere, [1] *fabricam naturalium inclinationum*, ut quò te illæ rapiant, & quomodo illis obsequendum aut resistendum sit, (ne extra limites ruant) non ignores. [2] *Objecta*, in quæ propensiones tuæ se effundunt; quæ sunt, *Tuipse*, *Proximus*, *DEus*. [3] *Invitamenta & irritamenta* omnia, quæ hûc aut illûc trahunt.

607. Summa summarum erit: ut in omnibus quæ unquam occipis, sis *Prudens*; erga teipsum *Cautus*; erga proximum *Æquus*; erga DEUM *Reverens*; tandem in bono *Integer*, *Sincerus* & *Constans*.

LXII.

Prudentia.

Reverentia est verecundia et modestia. item Reverenti est commoditas conversationis gestibus honorificis testandi observantiam

608. *Prudentia* sita est in eo, ut nihil unquam cogites, aut loquaris, aut agas in

 cas-

cassum, seu in incertum, omnia circumspectè: æstimando rem quamlibet ex dignitate suâ (magnam magni, vilem vili), bonaq; sic prosequendo, ut assequaris; mala sic fugiendo, ut effugias.

609. Hoc si vis, *prospice* ubique *Finem*, *dispice Media*, *attende Occasioni*, ne elabatur: h. e. expende (1) an aliquid optandum, aut inceptandum, sit? (2) num sic, an secùs, aggrediundum? (3) & quid impedimenti obvenire possit, ni præveniatur?

610. *Finis*, semper sit aliquid verè *honestum* & *utile*; simulque, si fieri potest, *jucundum*, quod te adeptum esse, pœnitere non possit: [perniciosis semper abstinendum, supervacaneis semper supersedēdum est]: atque, si optio datur inter plura, præfer bono melius, meliori optimum.

611. *Media* provise, quantùm potest [1] *certa* & *infallibilia*: [2] *usurpatu facilia* (difficile pro impossibili habetur): [3] *pauciora* potiùs quàm plura, necubi se mutuò impediant.

612. Postquam v. præstitueris Finem, & denotaveris Media, ne hæc frustrà sint, præcogita etiam *Modos* utendi rectè mediis

diis: ubi si quid præpedimenti præsentiscis, tempestivè anteveni: tùm auspicare celeriter, perge cautim, absolvereq; matura strenuè: ne te vel ab initio (præproperè agendo) præcipites, vel remoreris in cursu, vel ante adeptionem finis desistas.

613. Sic ubique agere si nôris, *providus* eris: tametsi n. ob lubricitatem rerum quandoque nos frustretur circumspectio nostra, non tamen poterit semper; ut *Vecordes* illos, qui appetunt illicita; & *Deliros*, qui suscipiunt impossibilia; & *Inconsideratos*, qui occasiones agendi negligunt; & *Stolidos*, qui occeptant multa, perficiunt nihil.

614. Sed loquamur de Virtutibus partitò, ut quid debeas *Tibi*, *Proximo*, *DEO*, disjunctim videas.

LXIII.

Sedulitas.

615. Tibi ipsi debes *Observationem*, h.e. pro conservatione Tui studium cautum, & assiduum: quod in *Moderatione Laborum*, *Cupiditatū*, *Adversitatum*, *positum est*.

616. *Laborum*: ne hos defugiendo, dedas te ignaviæ, vitamq́; sic instituas, quomodo nec tibi sit usui, nec aliis; aut rursùm nimietate laborum frangas vires, teq́; corrumpas, vel etiam occîdas.

617. Fuge utrumq́; hoc extremum: magis tamen pigritiam & torporem, quia in hanc partem peccare proclivius est; *Laboriosus esse maturè incipe, & serò desine, salva erunt omnia.*

618. Dum alij rerum suarum satagunt, tu tibi deesse noli; labores honestos nullos detrecta, aut subterfuge, sed cum alacritate subi, orsosq́; urge sedulò & constanter, (citra tergiversatione͂ & dilationem); donec iis defungaris.

619. Ignavis semper sunt feriæ (ut proverbio ajunt), etiam dieb⁹ profestis: tu contrà, in otio etiam negotios⁹ esto, h. e. dum recreationi vacas (lasso n. interqviescere permissum, at non segnescere) nè torpeas; sed lassas vireculas vividè recolligas.

LXIV.

Temperantia.

620. Ingenerata nobis eſt *philautia*, & optatio eorum quæ nos hilarant: ſed temperare ſibi oportet ab illecebris, quæ ita illectare ſolent *concupiſcentias* noſtras, ut rebus ad veram beatitudinem impertinentibus intricemur, fucoſis bonis demeremur, & quæ ſecundariò agenda erant, primariò agentes, vitâ non utamur, ſed fruamur: imò ne fruamur quidem, ſed inquietemur.

621. Fit iſtud, quando Cupiditati *Voluptatum*, vel *Opum*, vel *Honorum*, vel *Scientiæ*, immoderatè obſecundantes, in *Heluationem*, *Laſciviam*, *Avaritiam*, *Ambitionem*, *Curioſitatem*, tetra vitia, delabimur.

622. Tu *Temperans* & *Sobrius* eſto, ab alimonia ſuperflua abſtine: cū eſuris comede, cum ſitis bibe, quantum ſatis: prandiô & cœnâ cōtentus eſto, tu Studioſe, & quicunque agis vitam ſedentariam, jentaculū & merendam relinque Operariis: quia nimiâ ſaturitate corpus pigreſcit & egreſcit, animus v. ad obeunda munia fit inhabilis.

623. Vide n. voraces & bibaces *Epulones* & *Glutones*, quàm vorando ſua abſumūt! & guloſos *Lurcones*, quàm ſe vel quotidie potando ingurgitant, inſaturabilesq́; pārices eſtar-

effarciūt! *inebriati* v. brutè bachātur, vociferātur, manus cōferunt, titubant, lapsant, screant, sputant, & [cū bona venia] mejunt, visiūt, pedunt, vomunt, & tantùm nō resorbent quæ evomuerunt, belluli homunculi!

624. Quid prætereà? Ut *abstemijs* mens est perspicax, sic *potos* amentia hebetat, & furiat (temulenti n. fiunt turbulenti, vinolenti violenti): tùm postridie crapula hesterna molestat ebrios, ebriosos a. tremor, vertigo, arthritis, & alij dolorifici morbi divexant, & cruciabiliter è vita exturbant: Ecce suavitudines voluptantium!

625. Quid a. *libidinosa incontinentia*? habet eandem perditionem, sed majorem turpitudinem: *Lascivire* n. *belluinum est* (quanquam belluæ non coëunt, nisi prolis causâ): quam pudenda igitur fæditas, quia *Adulter* alienum torum polluit, *Scortator* suum; *Concubinus* pellicem alit, *Ganeo* per Lupanaria grassatur, *Meretrix* pudicitiam prostituit, *Leno* & *Lena* alios seducunt, & inquinant: Vah propudia! detestabiles ac exsecrandi omnes.

626, Cæterùm non *adulteria* solùm, *incestus*, *stupra*, *scortationes*, & *concubitus*

tus illegitimi; sed & omnis *venerea salacitas*, *indecora basiationes*, *amatoriæ cantilenæ*, *inverecundæ colloqvutiones*, imò *cogitationes obscœnæ*, impudicitia sunt, animumque fœdant.

627. Tu sis *castus*, *pudicus*, *impollutus*; absit *procacitas* in gestibus, *obscœnitas* in dictis, *petulantia* in factis: & ne te ulla spurcities contaminet, castitas tua vitam matrimonialem exspectet; fœminas efflictim depereundo ne insani.

628. Immodica *habendi cupido* gignit *Avaritiam*, inexplebile malum: quia Avarus (dum sibi necessaria defore præmetuit, perq; fas & nefas ditescere annititur) nunquam opibus saturatur; quamvis possideat marsupia pecunijs, cistas vestimentis, scrinia cimelijs & supellectile omnifariâ conferta, egestatem nihilominùs timet, adeoq; in copia inopiam experitur: tandem tamen malè parta malè dilabuntur, per hæredes prodigos.

629. Tu ut æquè *Tenacitatem* atq; *Prodigalitatem* fugias, *Frugalis* esto: Opes nec immoderatè appete, aut anxiè coacerva, nec insipienter sperne, aut prodige,

 sed

sed comparce; & quidquid accipis & expendis, in codicem acceptorum & expensorum refer: affatim divitiarum erit, si nō egeas, ipsaq; parsimonia thesaur⁹ tibi erit.

630. *Eminendi appetentia* instigat homines in *Ambitionem*, *Elationem*, *Fastum*, *Jactantiam*: ut sibi nimia arrogando, aut tacitè superbiant, aut propalam se & sua jactent, ostentent, immodicè tollant; ambiantq; honores & dignitates impotenter, & affectent præconia vulgi insolenter, quandoq; etiam ridiculè, vani gloriatores.

631. Te *Moderatio* commendet: bona tua habe tibi, citra ostentationem; utq; sis potiùs quàm videaris honorabilis, cura: si honor te dign⁹ offertur, eum admittere reverenter; aut, si res tuæ non ferunt, recusa moderatè.

632. *Sciendi aviditas* culpabilis est tùm, qvum *ardelio* præter modum multa resciscere avens, sciscitationumq; exsatiari non valēs, omnib⁹ se immiscet, undiq; rumusculos captat, omnia quæ celantur elicere quærit, eâq; ratione sibi & aliis iquietem affert: quin *Curiositas* hæc eô impulit quosdam, ut Omniscientiæ appetitione

cum

cum satana (nefarium dictu!) pacti sint.

633. Tu Scientiæ desiderium tempera! Disce non multa, sed delecta; non furilia, sed utilia, (quædam nescire præstat). quodq; tua nihil interest, percontari desine: ita tibi & aliis quies erit.

LXV.

Fortitudo.

634. Fuit, quomodo cavendum sit, ne nos à Virtutum via seducant res jucunditate allicientes: sequitur, quomodo præstandũ sit, ne nos abducãt illæ, quæ difficultatib⁹, periculis, adversitatibus, cõterrent.

635. *Fortitudine animi* hîc opus est: quæ per *Æqvanimitatem*, *Magnanimitatem Patientiamq́;* omnia vincat.

636. *Æqvanimus* est, qui ad omnem eventum indifferenter se habet, h. e. nec se rebus prosperis effert, neq; calamitosis subsidit: *Magnanimus*, qui ad repentinos casus, quibus se & suum propositum periclitari videt, non consternatur, sed aut declinare prudenter, aut si inevitabiles videt, perrumpere intrepidè, viam quærit:

Pati-

Patiens, qui malum cui elabi non potuit, fortiter perfert, nec propterea de tramite recti cedens, occallescit ad omnia.

637. *Pusillanimis* ex adverso, reb9 secundis intumescit, adversis animũ despondet; ad inopina percellitur, contremiscit, quô se vertat nescit, ad quemvis strepitũ effœminatè trepidus: obrutus v. calamitate, intolerabile deputat, quærimoniisq; omnia implens, indecenter plorat, ejulat, lamentatur, ægrimoniâ se emaciat, & sic impatiẽtiâ suâ ærumnas sibi cõduplicans succumbit.

638. Stultè tamen audaculi defugientes notam pusillanimitatis, ad negotia ardua, quibus impares sunt, audacter se offerunt; & pericula, quæ evitari possent, temeritate freti, provocant, nec inausum aliquid relinqvunt: unde fit, ut confusi recedant, vix postea mutire, vel hiscere, ausi.

639. Inter *Fortem* igitur, *Ignavum* &, *Temerarium*, quid interest? *Ille* munia vocationis suæ agit, *iste* deserit, *hic* alienis inardescit: *Ille* res agit solicitè, *iste* socordìter, *hic* præcipitãter: *Ille* sedulò, *iste* remissè, *hic* perfunctoriè: *Ille* quietè, *iste* oscitãter, *hic* tumultuariè: *Ille* nihil cunctando, *iste*

omnia

omnia procraſtinando, *hic* deſultoriè negotia pervagando: *Ille* deniq; nullibi nõ viget, *iſte* nullibi non friget, *hic* nullibi non variat; jam reſtitans, jam reſultans, intermiſſaq; reſumens.

640. Tu, ſi fueris (DEO confiſus) ad honeſta impiger, ad obſtacula impavidus (imperterritus), & ad triſtia accidentia infractus, perviceris.

LXVI.

Humanitas.

641. Nemo noſtrûm ſibi uni naſcitur, neceſſitudo cohabitandi conſociat omnes lege trinâ, quâ quiſq; obligatur.

I. Neminem lædere;

II. Suum cuiq; tribuere.

III. Prodeſſe inſuper, cuicui datur.

642. Tria hæc perpetraveris, ſi dederis operam (1) *Humanitati*, ne quem ullâ ratione offendas, aut contriſtes: (2) *Juſtitiæ*, ne cui injurioſè facias: (3) *Benignitati*, ut quem potes beneficiis afficias.

643. Evitationi offenſionum ſerviet, ut ſerves erga omnes *Modeſtiam*, *Affabilitatem*

tatem, Candorem, Veracitatem, Urbanitatem, Concordiam, Mansvetudinemque.

644. *Modestus* eris, si fueris humilis, non arrogās; verecundus, non procax; comis, non morosus, aut torvus; taciturnus potiùs quàm loquax; sever⁹ potiùs quàm frivolus: [nam garrulus nugator, qui facta infecta loqui non veretur; & āniles ineptias blaterans, blatero: & arcana sibi concredita effutiens, futilis locutulejus; & qui inopportunè interloqui solent, non possunt non esse ingrati: tu ergò, ubi loqui non est necesse, tace; silentij nulla poenitudo.]

645. Magis v. cave, ne quem contemnas, néve cui sine causa adversere, aut convitieris, & inferas contumeliam, vel facessas molestiam, aut cum præsumtione carpas, traducas, diffames: seu cavillando præsentem, seu calumniando absentem, (calumniæ recidunt in calumniatorem): parcè lauda, parciùs vitupera.

646. Si inaudivisti quod abscondi debet, ne divulga; abstrude potiùs quàm obtrude: quod tibi certò non constat, ne affirma aut nega, nedum ut asseveres, aut inficieris: contrà, si quid rumore dispa-

les-

lescit, aut alius quis narrat, svadet, dissvadet, adhortatur, dehortatur, ne præfractè repugna, aut obstinatè contende: nam æquè diffidentia, atque credulitas, detrimentosa est, omnisque contradicendi audacia exosa.

647. *Affabilis* eris, si cum quolibet bono, nobili, & ignobili, conversari non dedigneris: & quemcunq; adis, aut præteris, aut obvium habes, amanter salutes, salutantémve resalutes comiter; discedentem à te comiteris aliquousque; compellanti te vel interroganti aliquid, respondes placidè, annuendo saltem, vel abnuendo: ita omnibus esse poteris amicus, etiamsi non omnibus familiaris.

648. *Candidum* te exhibe erga quemlibet, quicum tibi versandum est, citra vafritiē & versutiam: nihil mali facilè suspicare, nullius mali alium insimula: si quid amiculꝰ deliquit, citra amarorem mone, corripe, corrige; à dolo & suspicione, æquè ut simulatione, sis alienus: dic cādidè quod res est, assētationes relinque hypocritis: *Adulator* palpo & offuciis cādorem simulat; ore amicꝰ, re insidiator fraudulentꝰ, veteratorq; versipellis. 649

649. *Verax* ut habearis, accura: quod obtinebis nunquam mentiendo, nihil cuiquam affingẽdo, nihil verbotenùs promittendo, nunquam facilè jurando; juramẽtum a. [si jurasti] servando: *Mẽdax* n. & qui dejerat ac pejerat, hanc tãdem perjurij pœnam habet, ut nec jurato, nec juráti, ampliùs credatur: mendacia verò, & qui ea comminiscuntur Mendaces, detestamur.

650. *Urbanus* ut sis, vide ubiq; quid te deceat, vel dedeceat: compone te ad elegantiam, rusticitatem fuge: inter mœstos mœre; inter hilares hilaresce; inter jocantes facetis leporibus, festivisq; jocis, etiam dicta & facta tua exorna; (*Tetricus* est, qui nec ipse liberales jocos proferre, nec aliorum jocationes ferre, potest.)

651. Cavebis tamen protervè *dicax* esse, scomatibus & dicterijs alios lacessere, aut rursum *morionum* ritu omnibus ineptè arridere, vel infacetè cachinnari, sed blandulè subridendo, & renidendo, civilitatem cõtestaberis: *Derisor* stolidè alios deridet, *scurra* sordidè scurratur: *Sannio*, quem cõtemtim habet, ei distortis labris, exsertâ lingvâ, aut digitis in ciconiã formatis, aut

nati-

natium nudatione, aliisq; sannarum generibus, despicientiam & ludibria exhibet.

652. *Concors* ut dicaris, vive tranquillè cum convictoribus, contubernalibus, concivibus, conterraneis, &c; æmulare fortunatos successus nemini, congratare potiùs: subortas simultates inveterascere ne sinas, ne in odium & inimicitias transeant: contendere, altercari, in jugi discordia vivere, rixosorum est; quiritari, & semper de aliquo conqueri, querulorum.

653. *Mansvetus*, fueris, si nec sis irritabilis, nec inexorabilis: non effervescens in iram, sed eam cohibens; injurias non retalians, sed sufferens: Læsit te quis? Utere conniventiâ, & eum pudefacies; si fecisse pœnitet, da veniã, culpamq; ignosce & cõdona; atq; si ipse offendisti, offensam agnoscere, offensumque affari, ac deprecari, ne pudeat; non simulatè, sed ex animo: ita tibi omnes oppidò devinxeris.

654. At Iracundus, & sui impos, illicò excandescens, & in vindictam exardescẽs, fremens, furens, minitans, maledicens, diras imprecans, criminantem recriminans, verberantem reverberans, quid proficit?

 magis

magis res perturbat, & alios quoq; ad bestialem sævitiam, quæ vix reprimi possit (homicidia ostendunt), exasperat; sed apage hujusmodi furias!

655. Generosus animus compos sui est, tametsi indignatur indignè factis, & obloquitur malevolis, non tamen stomachatur; infensus est alicui, at non infestus; mavult esse mitis, quàm trux; benignus, quàm dirus; pacare omnes, irritare neminem; atque ita concordare cum omnibus, discordare adversus neminem.

LXVII.

Justitia.

656. Actiones hominum sociatæ potissimùm consistunt in *commutandis Rebus*; & *distribuendis* inter *Personas* officiis, præmiis, pœnis: utrobiq; directrix est JUSTITIA, *commutativa* & *distributiva*, observatrix competentiæ (congruentiæ) inter *Rem & rem, Personam & personam*.

657. *Justus* igitur quod alterius est, sibi non vendicat, nec illo insciente usurpat: quod apud se habet depositum, reddit fideli-

deliter, non abnegat, multò minùs abjurat: fraudare n. æquè scelestum est, ac furari.

658. Quod commodatò accepit, idem redhibet, non aliud; & quidem, quoad fieri potest, citra damnum: pro eo v. quod mutuatitium (mutuó datum) est, aliud quidem restituit, paris tamen æstimij.

659. Si quis à te mutuatur, ei mutua; maximè si stipulanti adstipulatus es: chirographum tamen, aut pignus, aut hypothecam, aut aliam cautionem, postula: quia ob mortalitatem, & lubricam hominum fidem, cautelâ opus est.

660. Cùm debitum exsolvitur, debitoris nomen expunge, illiq; trade *apocham*, quâ solutum tibi esse, & te solutionem accepisse, testeris: aut *acceptilationem*, quâ tibi satisfactum esse [quocunque inter vos conventô modô] testificeris.

661. Injurius est sibi ipsi, qui alieno ære ita se obruit, ut tandem bona sua Creditori cedere cogatur: alijs v. qui fœneratoris more illicita fœnora [usuras] supra sortem exigit: sed qui debitorem *anatocismis* pauperat; nequissimus usurarius est.

662. Breviter: juste age, alieni nihil ap-

pete, promissis & pactis tuis [sive ultrò cõdixisti quidpiam, aut transegisti cum quopiam, sive exorat9, & quibuscunq; conditionibus aut exceptionibus] sta firmiter: neq; cuiquã tecum expostulãdi da ansam.

663. Jam in dispensandis bonis æqualitatem itidem serva: laudabiliter agentes collauda, comenda, promove; illaudabiles reprehende, objurga, floccipende: inscienter delinquentium, aut præter voluntatem, miseresce, erroresque imperitiæ imputa, nec rigidè exprobra, aut impropera; sed suâ sponte facinorosis succense; eos v. qui alieno instinctu vel impulsu peccant, non omninò excusa.

664. Prò impetrãdo *beneficio* obnixè petere, aut etiam submissè supplicare, ne pigeat: [superbus mendicus nihil emẽdicat; importun9 flagitator odiosus est, nihil obtinet]: si petitum justa de causa negatur, ne obtunde, ne admurmura, ne maledic.

665. *Beneficij competitores* si adsunt, digniori da maj9, indigniori minus: pro collatis in te abs quovis, ut declares gratitudinem, benefactum agnosce, deprædica, pensa, redhosti, aut saltem age gratias, si

non

non referre liceat: munera n. remunerari, & esse munem, sæpenumero haud licet.

666. Quod si quis non rogatus aliquid largitur, pertinaciter haud respue, ne aspernari, néve ingratus esse, videaris, tibiq; ingratitudo objectetur.

LXVIII.

Benignitas.

667. Non satis est viro frugi, nemini *Obesse*: *Prodesse* quærit, cuicunque potest officiorum gratuitorum præstatione.

668. Quare tu, si quis consilio indiget, *Consule*; si solatio, *solare*; si subsidio, *subveni*; si ope, *opitulare*; si patrocinio, *patrocinare*: nescienti aliquid, si tibi succurrit, *suggere*; eum qui te opperitur, *ne morator*: & cuicunq; gratificari potes ullâ re, *ne gravator*, sic demereberis gratiam: inofficiosi est, rogari velle, aut exspectari.

669. Dives es? Esto igitur erga amicos *munificus* (strenis & donarijs), erga peregrinos, *hospitalis*; erga pauperes, *liberalis* (etiamsi pecuniosus non sis, de modico tamen etiam imperti; si non largiter, libe-

raliter): erga miseros, *misericors*, infortunium eorum non irridendo, sed commiserando, & sic afflictis afflictionem non addendo, sed adimendo.

670. Si præterea fueris erga quosvis superiores *obsequiosus*; erga pares, *officiosus*; erga inferiores, *lenis* & *placidus*; parabis tibi amicitias veras, nec aliis eris contemtui, ut solent fastuosi, tumidi, parasiti; quin & ipsos osores tibi conciliabis.

LXIX.

Pietas.

671. Super omnia v. tibi ubiq; obversetur *Ille*, *qui super omnia est*, *&* *à cujus solius gratia tibi*, *&* *rebus tuis*, *benedictio*, *ab indignatione v. maledictio & interitus*, *venire possunt*: hunc tu unicè reverere, summè deama, perpetuò invoca, in cõspectu ejus nunquam & nusquam pecca, omnia tua illi fidenter crede: næ ille te pulchre beabit.

LXX.

Constantia, &c.

672. Licèt integritas nostra imperfecta sit, tu tamen ut tibi omnimodæ Probitatis compares habitum, coadde coronidem, *Constantiam*, cum virtutum *Plenitudine* & *Sinceritate*.

673. *Plenitudo* requirit, ut nullam Virtutem velis abesse, quæ te honestare & integrare possit, ullo ætatis, vel conditionis tuæ statu, aut gradu: ut nimirum te *Adolescentem ornet modestia, taciturnitas, auscultatio, agilitas, mundities; Juvenem, verecundia, castitas, impigritas, obsequentia, fidelitas; Virum, operositas & prudentia; Senem, gravitas, sapientia, mortis prospectatio & despectatio.*

674. *Sinceritas*, ut nihil agas affectatè, simulatè, apparenter, dicis causâ; *omnia sincerè, ex vero, & bonâ fide*, ut incustoditus etiam incontaminatus sis, & inculpatus; id quod ut fiat, & tu consummationi sis proximior, conscientiosus esto, quicquid fieri oportere vides, minimum etiam, sciens volens cave unquam prætermittas.

675. *Constantia*, ut in tam excellenti proposito persistas imotè, etiamsi quis labefactare te, & dimovere, tentet; paratior mori

quàm

quàm spurcari, & amittere decus tuum: si quis tamen meliora ostendat, pervicax esse noli; satiús est regredi, quàm malè progredi.

676. Vides, quam penes te sit, *felicem esse*, si sic perseveres? Præfestina igitur asserere te DEO, & tibi! ut in potestate tua sis, nec alieno prolubio volvaris, aut rapteris: utq; tibi benè conscius in omnibus, permaneas illæsus & indemnis, exsultesque continenter.

LXXI.

Artes Sermonis: primumq; *Lexica, & Grammatica.*

677. Hucusq; spectata peragi possunt silendo: quia verò ad socialitatem facti sumus, & sermocinari opus est, *sermocinatrices* quoq; *artes* [Philosophiæ appendicula] coluntur; *Lexica & Grammatica; Rhetorica & Oratoria; Poesis & Musica.*

678. *Lexica* sunt Vocum repertoria: quorum exorsus videtur esse à *Vocabularijs*, ubi Vocabula congeruntur quovis modo: hinc ventum ad pleniora *Dictionaria*, ubi digeruntur ordine alphabetico; si con-

si continuo, ad celerem inventionẽ, *Promtuarium* dices; si reducendo voces compositas ad simplices, & derivatas ad primitivas, cum eruta originatione, *Lexicon* vocabis: quod tantò fabrius erit, quantò ibi fuerit (Vocabulorum) *collectio plenior*, ut quicquid quæris reperias; & *collocatio amussitatior*, ut suo loco invenias: & *explicatio dilucidior*, ut legenti ultrò elucescant.

679. *Grammaticus* comeditatur, quomodo ex literis Syllabæ, è Syllabis Voces è cõjunctis vocibꝰ Phrases & Sentẽtiæ, & ex his Periodi, Sermonisq; cõtextꝰ, fiat; ne admittantur *Barbarismi*, aut *Solæcismi*: juxta cujusq; Lingvæ *idiotismos*, *analogiamq;* & *anomaliam* (quippe quædam regulariter formãtur, alia irregulariter): Habes Grammaticæ *breviarium*; *Systema* stat suo loco.

LXXII.
Rhetorica & Oratoria.

680. Ut Sermo nõ tantùm sit intelligibilis, sed etiã svaviter delectabilis, & acutè penetrabilis, *Rhetor colorat* Verba *Tropis*, Sen-

tentias *Figuris*, Pronunciationem *Gestibus*.

681. Tropus est qvum vox à nativa significatione transfertur ad significandum rem [1] similem, aut [2] contrariam, aut saltem [3] diversam.

682. Cùm n. *stupidum* voco *Stipitem*, vel *Asinũ*, Metaphora est; quâ res similis nomine rei similis appellitatur: *Bone Vir*, pro *Nequam*, Ironia est; quâ res nomine rei contrariæ jlocalariter insignitur: *Homo est lutum*, Metonymia est; quâ causa pro effecto, & vice versâ, ponitur: *Homo est mortalis*, Synecdoche; quâ pars pro toto sumitur, & contrà.

683. Accedunt Tropis, *Allegoria*, *Hyperbole*, *Miosis*: simpliciori a. Verborum exornationi, *Epitheta*, *Antitheta*, *Synonyma*, *Periphrasis*.

684. *Mali corvi malum ovum* (i e. improbi patris improbus filius) Allegoria est, quâ semel positus Tropus continuatur: *Homo homini DEus*, Hyperbole est, quâ res ultrâ verum extollitur: *Homo est umbra*, Miosis, quâ res infra verum extenuatur ac minuitur.

685. Orator *eloquens*, eloquitur *potenter*

ter, Epitheta sunt quæ Nominibus & Verbis ornatûs causâ adjiciuntur: *Nō loquitur, sed fulminat, non commovet, sed dejicit*; Antitheta sunt, quib⁹ plus quiddā dicere videmur, quàm dicimus: *Solicitat, suadet, persuadet, captivat, quô vult perducit*: Synonyma sunt, ideò adhibita, ut velut iterato ictu idem adigatur fortiùs, & hæreat firmiùs: *Romanæ parens eloquentiæ* (pro Cicero); Periphrasis est, quâ rem non nominamus, sed circumloquimur; quod si continuatur per totum, *Paraphrasis* est.

686. Cùm a. mutam⁹ Sententias & Periodos efferēdi modum, à simplici in elegantem, Figuram cognominant; sive quidem variatur tota Sententia, *emphaseos causâ*; sive partes ejus quasdam lepidè inter se collocando, *suavitatis ergò*: ibi dicuntur *Figuræ sentētiæ*; hîc *Figuræ dictionis*.

687. *Sententiæ Figurarum* præsigniores sunt octo: (1) *O tempora, ó mores!* Exclamatio est, quâ sermo intenditur exclamando. (2) *Siccinè fieri oportuit?* Interrogatio est, quâ auditorem interrogando ad attentionem concitamus. (3) *Sed de his tacebo*; Reticentia est, quâ sermo ipsâ

sermo-

ſermonis abruptione redditur aculeatior. (4) *Tacebo? imò loquar;* Correctio eſt, quâ quiddam jam dictum revoco, ut dicendum excipiatur attentiùs. (5) *Dicat aliquis, &c, ſed regero;* Præoccupatio (Prolepſis) eſt, quâ auditoris compellatio præoccupatur. (6) *Sit inops, ſit ortu humilis, at eſt probus;* Conceſſio, quâ quod oggeri poſſet conceditur, ut auditor concedere cogatur aliud. (7) *Audite cæli, Vos mihi eritis teſtes;* Averſio (Apoſtrophe) eſt, quâ ſermo ab auditoribus alioverſùm convertitur. (8) *Non in hoc ego Sol luceo, ut vos ſomnolēti altùm ſtertatis;* Proſopopœja eſt, quâ res alia auditoriū alloquens introducitur: omnia hæc ad exciendā intentionē.

688. Inter *Figuras Dictionis* antecellunt totidem. [1] *Vicimus, vicimus,* Epizeuxis eſt, iteratio continua. [2] *Nobis id cedit ſolatio, nobis honori, nobis utilitati;* Anaphora repetitio in ſententiarum principiis [3] *Ibimus, pugnabimus, triumphabimus;* Epiſtrophe, ejusdem ſoni in fine geminatio. [4] *Multa promittis, præſtare teneberis multa;* Epanalepſis eſt, congeminatio in principio & fine. (5) *Cauſa bona addat*

nobis

nobis animum, animus industriam, industria virtutem; Climax est, connexio plurium gradata. (6) *Non vivo ut edam, sed edo ut vivam*; Epanodos est, conduplicatio inversa. (7) *Quæ nocent, docent*; Paronomasia, soni ad sonum, & rei ad rem, allusio. (8) *Memorem facit immemorem, qui memorat quod ille meminit*; Polyptoton, repetitio ejusdem Vocis, variato casu.

689. Sunt & accessoria Sermonis ornamenta, *Gnomæ, Adagia, Apophtegmata, Parabolæ, & Apologi, Comparationes, & Exempla*: è quibus omnibus *Sermo* fit *tersus*, si res enunciantur purè & emendatè; *floridus*, si tropicè & figuratè; *nervosus*, si strictim ac sententiosè.

690. Observa & *diversitatem Stili*: qui brevis & argutus, *Laconicus* dicitur; copiosus & diffusus, *Asiaticus*; rebus exquisitè attemperatus, *Atticus*. *Character stili* itidem triplex est, *humilis*, in efferendis rebus quotidianis; *sublimis*, seu *grandis*, in reb9 arduis; & *mediocris*, in mediocribus.

691. Hinc *Orator*, thema aliquod oratoriè pertractatur9, reducit illud primò ad certum *Statū*, quem facit triplicem; *Demonstra-*

strativum, quô fiunt rerum laudationes & vituperationes; *Deliberativũ*, quô ſvaſiones & diſvaſiones; & *Juridicialem*, quô accuſationes & defenſiones abſolvuntur.

692. Ubiq; a. oraturus, ingreſſum ſibi facit *Exordiô* accomodo, quô captat benevolentiam, attentionem, docilitatem; tùm devenit ad *Propoſitionem*; quam e *Argumentis probantibus* confirmat, *explicantibus* illuſtrat, *amplificantibus* dilatat, *Conſectarijs* adverſarium premit; tandemq; appoſito *Epilogo* concludens, perorat.

693. *Geſtus*, perornantes elocutionem, ſunt in *Vultu, Voce, Motu corporis*: *Vultum* refert, prout res exigit, ſubmiſſum aut erectum, hilarem aut triſtem, frontemq; capeiatam aut exporrectam: *Vocem* adhibet in concitanda miſeratione flebilem, & interruptam; in Ira, acutam & incitatam; in gaudio, lætam & blandam: Ad obteſtandum, utitur. *manuum complicatione*; ad læta, decenti earundem *comploſione*; ad indigna, pedis *diſploſione*.

694. Cui oratio benè fluit, *Diſertus* dicitur; qui jucundè effatur, *Facundus*; qui res eloqui ſcit potenter, *Eloqvens*, (ſive illi

illi eloquentia veniat extempore, sive præmeditatè: maximè tamen, si ad extemporalitatem usq; promtus fuerit): abusus Oratoriæ facit *Rabulam*.

LXXIII.

Poësis & Musica.

695. *Poëta* adhibet eadem artificia *stilo ligato*, h. e. ad leges *Rythmi*, aut *Metri*, adstricto, certo *Carminis* genere.

696. *Rythmus* est Poëseos rudimentum, ubi tantùm Syllabarum numerus spectatur, cum simili cadentia ultimæ: ut, *Vos edatis, horis statis; si non dente, saltem mente.*

697. *Metrum* est, ubi omnes Syllabæ numerantur, mensurantur, ponderantur, certô pedum poëticorum numerô & genere: nam è syllabis fiunt *Pedes*: ut, ex duabus longis, *Spondéus* (Cōn-stāns); è brevi & & longa, *Jambus* [Bŏ-nī]; è longa una & brevi, *Trochæus* (Sēm-pĕr); è longa una & brevibus duabus, *Dactylus* [Flē-ctĕ-rĕ].

698. E Pedibus fiunt *Versus*; è Versibus a. *Carmina*, seu *Poëmata*; quorum genera (à diversa pedum dimensione) aliâs

âs disces: ab argumento verò vocantur, nuptiale carmen, *Epithalamium*; funerale, *Epicedium*; sepulchrale, *Epitaphium*; abiturientibus paratum, *Propempticum*; festiviter joculare, *Epigramma*; acriter invectivum, *Satyra*, &c.

699. Arguti Poëtæ in tanta æstimatione habentur, ut à Regib⁹ laureâ coronari, & titulo *laureati Poetæ* decorari, soleant.

700. At *Musicus* (pro oblectandis magis auribus) addit Carmini *modulationem*, ut non recitari tantùm, sed cantitari, possit: sive voce assâ, sive admodulando tibiæ, vel citharæ; & sive modulatu simplici & sonore uno, quod *Euphonia* est; sive modulatione plurium per consonantiam svavem, quod *Symphonia* est.

701. Voces n. quatuor, alternis intervallis distantes [prima cum tertia, quinta, octava] harmonicè cõnsonant: supremam vocant *Altum*; mediam, *Tenorē*; imam, *Bassum*: sed juvenili voce cantandam, antequam hirquitalliant (gallulascant) vocant *Discantum*: quarum si aliqua in alterius latus incidat proximè, asperant se invicem, faciuntq; absonam dissonantiam.

702.

702. Ergò ad evitandam discrepantiam, dum quisq; *Concentorū* suam vocem (figurarum Musicarum notis depictam) cantat, un⁹ percussione manûs modulum præmõstrat: unde reliqui *Cantûs* & *Pausæ* (cantationis & cessationis) mensuram accipiunt.

LXXIV.
Medicina.

703. Aspeximus *Philosophiam*, cum suis partibus & corollariis: MEDICINA sequitur, quam excolunt Academiæ ideò, ut ne desint, qui genus humanum præservare queant à morbis corporeis.

704. Exercentur hi in noscendo valetudinis subjecto, Corpore humano, per *Anatomiam*; & remediis, per *Botaniken* & *Chimiam*; & applicandi ea modo, per *visitationes ægrorum*, præsertim sicubi *Valetudinarium* est, ad quod undelibet congregantur morbis sonticis (sive sanabilibus, sive insanabilibus) affecti, collectivoq; Medicorum consilio curandi.

705. Medicinam olim profitebantur *Empirici*; deinde *Methodici*, qui posthabitis

bitis experimentis, ad morborum indicationes respiciebant: successerunt *Dogmatici*, conjungentes experientiæ rationes, qvos vocamus *Galenicos*.

706. Hodie inclaruit Medicina *Spagirica* (sive Hermetica), præparatione ac subtilitate medicamentorum admirabilis, sed simul ob summum discrimen, si incautè tractetur, formidabilis: summoperè hi desudant in emolienda medicina catholica, adversùs omnes morbosos affectus præsentanea; quam in quinta essentia, ab omni elementali crassamento sequestrata, ponunt. (Praxin Medicinæ videbis infrà, Cap. LXXXVI.)

LXXV.

Jurisprudentia.

707. JURISPRUDENTIÆ opera datur, ut non desint, qui humanam societatem salvam præstare à dissidiis sciant: Complectitur itaq; prudentia hæc notitiam (1) *Vinculorum*, quibus illa consortio continetur: (2) *Casuum*, quibus labefactatur: (3) *Remediorum*, quibus restituitur.

708. *Vincula*, sunt JURA, *Personarum*, *Rerum*, & *Actionum*.

709. *Jus Personarum*, est potestas personæ in personam, cujus vi una præest, *suiq; juris* dicitur: altera subest, eoq; *alieni juris* est: hûc ergò spectat potestas *Maritalis*, super *uxorem*; *Patria*, super *liberos*, *Tutoria*, super *pupillos* impuberes; *Curatoria*, super puberes; potestasq; *Magistratûs*, super subditos.

710. *Jus Rerum* est, quô persona quæpiam potestatem habet in rem quampiam: estq; vel *Dominium*, qvum res tenetur à proprietario; vel *Possessio*, cùm tenetur ab usufructuario; vel *Servitus*, cum in manu est ministratoris.

711. *Ius Actionum*. est factum quoddam obligans eum, qui illud admisit: sive sit *Conventio*, quâ duo [vel plures] in aliquid dandum, vel faciendum, consentiunt, seq; ad præstandum obligant; uti fit in *Stipulatione*, *Pollicitatione*, & quocunq; *Pactô*, aut *Contractu*: sive *Delictum*, quô admisso, jus pœnæ inferendæ oritur, &c.

712. *Casus*, à quibus humanæ societatis dissolutio, vel labefactatio, venit, sunt,

aut *invasio* juris alieni, aut *desertio* proprij, aut *violatio* contractuum, (*Do ut des; Facio ut facias*: vel, *Do ut facias; Facio ut des*): inde enim omnium litium origo.

713. *Remedium* est, ut restituatur unumquodq; in suum locum, secundùm præscriptum *Juris*: quod vel *naturale* est; vel *gentium*; vel *municipale*, è proprijs consvetudinib⁹ & statutis loci alicuj⁹ collectum.

714. Dum ergò aliqui de jure suo, ejusvé sensu, inter se controversantur, itur ad Jureconsultum, aut ad Jureconsultorum (in Academia) collegium, qui responso legali dubietatem explanent.

715. Et quia responsa illorum magnam partem allegationibus authoritatum constant, disce abbreviaturas Vocum usitatas: *JCti*, i. e. Jureconsulti: *Instit.* Institutionibus: V. *ff.* Vetus Digestum: N. *ff.* Novum Digestum: C. Codex: A. Authentica: D, Digestione; *c*, capitulo: *§*, paragrapho: *l.* lege, &c.

Abbreviaturæ voces.

[Praxin Juris videbis Cap. LXXXVII.]

LXXVI.

Theologia.

Theologi non disputandi causâ debent ubique esse.

716. Rerum divinarum ſtudium, THEOLOGIA, eô colitur, ut non deſint, qui animarum ſecuritati conſulant, in ijs, quæ ad æternam ſalutem ſpectant.

717. Fundatur tota ſuper Revelationes DEI: quarum nihil ignorare, univerſarum ſenſum catholicè tenere, & quæ inde hæreticè detorquentur vindicare poſſe, Theologica exactio eſt.

718. Dividitur alioqui *Thæologia* in [1] *Poſitivam*, quæ in Scripturarum per Scripturas dilucidatione conſiſtit: [2] *Catecheticam*, quæ effatorum DEI ad ſimplicium captū accomodationem habet: [3] *Didacticam*, quæ in reductione ſingulorum ad Corp⁹ Doctrinæ occupata eſt: [4] *Polemicam*, quæ habet Scripturarū reſolutionem in quæſtiones, de quibus dimicetur: (5) *Propheticam*, quæ Verba DEI divinè populo proferendi modum quærit: (6) *Caſualem*, quæ conſcientiarum *Caſus* (angores) ſolvere inſtituit: (7) *Cabaliſticam*, è Scripturæ apicibus myſticos ſenſus captantem. (Reliqua vide Cap. XCIV &c.)

719. *Signatura veri Philoſophi* eſt, Contemplatio jugis, Penetratio in rerum cau-

ſas, & non diſceptare, ſed demonſtrare: *Medici*, Temperantia, Vigor, Vivacitas: *Jurisconſulti*, Æquitatis tenacitas, Morum placiditas, cum omnibus Concordia: *Theologi*, Pietas, Humilitas, & nihil redolere mundum aut mundana.

LXXVII.
Cōverſatio erudita.

720. Hucusq; de *Libris* & *Scholis*: ſequitur, quomodo in illis ſit verſandum, ut operæ pretium fiat: nempe non ſolitariâ maceratione (licet id autodidacticis quibusdam non improſperè cedat), ſed ſociali cum Eruditis *Converſatione*.

721. Sæpè qui librorum lectioni vacat, cōverſationem quoq; habet; nempe cum abſentaneis, per ſua ſcripta nos alloquentib⁹: quorum ſuggeſtionibus ut egregiè imbuaris, *Muſēum* habe in ſolitudine, à turba remotū, ne quid interturbet: nec admitte promiſcuos, ſed ſelectos: quos mundè tractа, lituris ne macula; niſi notabiliora ſubnotando, reminiſcentiam ſublevare velis.
[Antiqui ſoliti fuerunt notare approbanda *aſteriſco* (✱), improbanda *obeliſco*, ✝]

722. In transcursu moneo, *Matutinas horas studijs accommodissimas esse*: ergò si antelucano lucubras, *cereus* præ sebacea cõducit: *tedæ* quia fumidæ, lucubrationib⁹ insigniter officiũt: *Candelabrũ* sit elevatũ; *Umbraculũ* viride; *Emunctorium* præstò, ad emungendũ identidem ellychnium ne obumbret, sed *fũgũ* mox opprime, ne fœteat.

723. Quicquid a. legis (sive ordinariis, sive succisivis horis) legito ter distinctè; *primùm*, ut intelligas; *deinde*, ut seligas & enotes; *demùm*, ut selecta memoriæ imprimas: [*Selectio* a. est utiliorum excerptio atq; consignatio; non in rejectaneas schedas, sed in *Diurnũ*, seu *Adversaria*, *aut Locos communes*.]

724. Verumenimverò si progressiones majores cupis, quære tibi *studiorũ sociũ*, cui lecta comunices; sive ille te intelligentior sit, & tibi non intellecta enucleare possit; sive à te demùm discat: (tu n. alium docendo teipsum erudies): versari proinde cum istiusmodi sodali nunquam pigreris.

725. *Pugillares* (aut *plumbaginem* cum chartula) semper tecum habe, ut quicquid incidat [referendum ad Diaria, vel inquirendũ in Authoribus] assignes, ne excidat.

726. Præterea, si ad *Viros claros* [etiam procul patriâ] non piguerit proficisci, poteris tùm publicè in Auditoriis profitentes, de controversiis disputantes, de qvibuslibet disserentes, audire; tùm privatim in eorum familiaritatem honestè te insinuando, quidvis modestè contari, de omnibus informari, in dies proficere.

727. Nec ibi *gnavum sodalitium* deerit: ubi partitis inter vos Authoribus, quod quisq; seorsim legisset, id totum poterit (per collationem) fieri commune: quotiesq; ibidem (in promotione *Baccalaureorum, Magistrorum, Doctorum*) diligentiæ præmia distribui videbis, toties te ad virtutem instigari senties.

728. Tandem venustulum est, absentiũ quoq; sapientiâ ad tuos progressus uti, per *Literas* eruditè ultrò citroq; scriptas, pulchreq; agitatas quæstiones quascunque.

729. Antiqui in tabellis ceratis, eoq; deletilibus, exarabant *Epistolia*; nobis chartaceæ serviunt meliùs: quas, ne legi queant, nisi ab illo cui destinantur, complicamus, & obsignamus *sigillo*; resignandas illi soli, ad quem inscriptio spectat, & cui à

lato-

latore traduntur: accidit tamen, ut intercipiantur ac refringantur: quamobrem occultis jam modis,iisq; variis,scribi solēt; (schedula,*nihil secreti habens,non sigillatur.*)

LXXVIII.

Oeconomia: *ubi lustramen* Domûs,

730. Introgrediamur *Domos,Urbes,Regiones*: visuri, quomodo homines pro adjutorijs mutuis consociati sint, in *Familias, Respublicas, Regna*: cujus rei fundamentum est *Unanimitas*.

731. Minima *consociatio* est domestica; sed ea trina, *Conjugalis, Parentalis, Herilis*, in unam Familiam ritè coalita: qvam *Paterfamiliâs*, cum *Matrefamiliâs*, regunt; quibus *filijfamiliâs*, cum *filiabusfamilâs*, universoq; famulitio, subsunt.

732. Horum habitationem, *Domum* faciunt *ornatam Parietes* benè fenestrati, albati, picturati; *tutam* v. *Januæ* benè obseratæ, & fenestræ benè cancellatæ, aut clatratæ; *commodam* denique, *Conclavia* amplitudinis justæ, pro vario usu benè di-

 stin-

ſtincta: ut ſit, ubi domeſtici convivant, *Hibernaculum* (Hypocauſtum) fornace inſtructum, vel camino; & pro cibis parandis *Culina*; tùm *Cœnaculum*, menſariâ ſupellectile refertum; &, pro aſſervando penore, *Cella penuaria*; pro nocturna requie, *Dormitoria*; proq; aliis rebus, *reconditoria* debita, *Armaria*, *Arcæ*, &c; pro transferendis denique, *Sportæ*, *Cophini*, &c.

733. *Cubiculum* habeat ſpondas & lectiſternia, [*grabbati* ſunt pro meridiana reclinatione delicatorum]: et, quod facit ad munditiam, *matulas*, pro Veſica levanda; adſtructosque receſſus (*latrinas*), pro exoneranda alvo.

734. Bona ordinatio *Contubernij*, in diſtributione rerum & officiorum ſita eſt; ut quæq; res (in domo) habeat ſuum locum, & quisq; locus ſuam rem [quò ſtatim, quid abſit vel adſit, pareat] quisque item domeſticus ſuam functionem, & quæq; functio [ne alius alium reſpectando, incurioſè agant omnes] ſuum agentem, ſub inſpectione tamen Oeconomi.

LXXIX.

So-

Concubina est persona (mulier) libera à nulli conjugata cum qua tamen vir etiam à conjugio liber tanquam cum uxore cohabitat.

Societas Conjugalis.

735. Familiæ basis, *Conjugium* est, ad propagationem generis humani divinitùs sanctum: inde enim veniunt legitimi *Liberi*, & propter hos *famulatus*, cum reliquo Oeconomico apparatu.

non concubitus sed consensus legitimus facit conjugium.

736. *Matrimonio* jungũtur *Mas* & *Fœmina*: nec refert, utrùm ille juvenis an viduꝰ, illa virgo an viduâ, sit; dummodò ambo sint cœlibes, ac nubiles, nec ætate præ nimis disparil es, aut se consangvineitate nimis tãgentes, ne nuptiæ fiant incestuosæ.

737. Masculus itaq; dispicit sibi de femella, ad nubendum habili [nimiùm juvenculæ, nimiumq; exoletæ, & anus, illocabiles sunt]: quæ honestè nata, pudicè educata, famâq; illibata sit: utrùm insigniter dotata, aut elegans, non adeo curandum: quia *dos* (sive sit profectitia, sive adventitia) & forma, transitoria bona sunt; & plerunque excitant rivales, quorum alterum necesse est repulsam ferre.

738. Postquam adamârit aliquam, dum hanc procit (sive per se, sive per pronubum, aut conciliatricem) *Procus* vocatur: atq;

atq; si uterq; nuptu rientium *patrimus* est, aut *matrimus*, inscijs parentibus nihil tentant: si his orbi, consulunt Curatores.

739. Cumq; *amasius* obtinet, ut sibi *amasia* despondeatur, celebrantur *Sponsalia*, datisq; *arrhis sponsalitijs*, desponsatio confirmatur: alicubi etiam desponsati è suggestu publicè proclamantur, ne *connubia* sint clandestina.

740. Tum dicitur *Nuptijs* dies, quâ copulantur à parocho (nisi fortè intervenisset repudium) ad amicabilem & indissolubilem cohabitationem, atq; sic juratâ pactione fiunt *Conjuges*: quam solennitatem cohonestant utriusq; partis necessarij: & *Paranymphi*, Sponsum comitantes; *Pronubæque*, Sponsam concinnantes.

741. A nuptijs *Sponsa* ducitur domum, ad ædes *Sponsi*, fiuntq; *repotia*: & tùm iste recipit nomen *Mariti*, illa *Maritæ*: eos verò qui sibi natam, & gnatum, elocarunt, vocare incipiunt *Socerum* & *Socrum*; ipsi ab eis appellandi *Gener* & *Nurus*.

[Qui verò nepotem vel neptim elocant, fiunt *Prosocer* & *Prosocrus*; qui duxit, *Progener*, quæ nupsit, *Pronurus*: sed mariti frater, *Levir* est; ejusdem soror, *Glos*; fratris uxor, *Fratria*

bria; sororis maritus, *Sororius*: cæteri conjugatorum cognati fiunt inter se *Affines*.

742. *Conjugum commune officium* est, præstare sibi mutuò amorem & fidelitatem ut neuter alteri sit invisus & infidus: *Mariti* seorsim, sustentare & protegere uxorem; hujus rursum, accomodare se consorti, eumq; venerari.

LXXX.

Societas Parentalis.

743. Conjugatis benedicit DEUS *sobole*, masculâ vel fœmineâ: cujus intuitu è Cõjugibus fiunt *Parentes*, *Pater* & *Mater*.

744. Qvum *Uxori gravidæ* pariendi tempꝰ adest, (Deusq; avertit casum abortionis), enititur *filiolũ*, vel *filiolam*; quandoq; *gemellos*, rarò *tergeminos*: & postquã peperit, fit *Puerpera*, latitatura puerperij tempore (totis sex à partu septimanis) domi.

745. *Obstetrix* excipit infantulum (lætanter, si videt esse corpusculo salubri, & absque nævo) tepidulo balneolo; repo- nitq́ fascijs involutum & religatum, in *Cunas*; vagientem autem cunarum prorsum

lum rursum agitatione delinit, & consopit.

746. Alma *Genitrix*, aut conducta *Nutrix*, alumnum suum, in sinu reclivem, fovet, amplexatur, osculatur, svaviatur: præbensq; esurienti *ubera*, lactat (pusio ipse lactet): paulò tamen post *pappâ*, præmansóve cibo, saciat~.

747. *Geraria* sordidatũ abstergit molliculis linteolis & involvit plumeis lectulis, ne algeat: sæpiusculè etiam ulnis impositum circumgestat, ut sessitationi adsvescat~.

748. A lactatione pervenitur ad *ablactationem*, & à cunabulis ad *serperastra*: ibi, ut cibos solidiores manducare; hîc firmiter incedere, (bimulus circiter) condiscat: reliqvum infantilis ætatis exigitur lallando & lusitando, pupis, crepitaculis, crepundijsq; cæteris: sed petulanter evagantem, aut flentem, territare solent *Manduco*, terriculamento ficto.

749. Ex eodem parẽte utroq; nati *germani* sunt *fratres* & *sorores*: ex eodem duntaxat patre, *semigermani*; ex eadem tantùm matre, *Uterini*: cæteri ab eadem progenie venientes, *Consangvinei*; è stirpe paterna *Agnati*, è materna *Cognati*: *Vitricus* &

No-

Novercæ habent *privignos* & *privignas*.

750. Utriuslibet tui parentis pater, *Avus* tuus eſt; mater ipſorum, *Avia* tua: horum porrò parentes, *Proavus* tuus, & *Proavia*; iſtorum, *Abavus* tuus & *Abavia*; illorum, *Atavus* tuus & *Atavia*; rurſusq; horum, *Tritavus* tuus & *Tritavia*; qui ſuprà ſunt, *Majores* vocantur.

751. *Liberi* autem noſtri ſunt *Filius* & *Filia*: quorum liberi nobis ſunt *Nepos* & *Neptis*; iſtorum, *Pronepos* & *Proneptis*; illorum, *Abnepos* & *Abneptis*; inde ſunt, *Atnepos* & *Atneptis*, *Trinepos* & *Trineptis*: qui infrá hos, *Poſteri* noſtri appellantur.

752. In linea collaterali, Patris tui frater, *Patruus* tuus eſt; matris frater, *Avunculus*; patris ſoror, *Amita* tua; matris ſoror, *Matertera*: ſupra hos ſunt, *Propatruus* & *Proamita*, *Abpatruus*, & *Abamita*: *Proavunculus* & *Promatertera*, *Abavunculus* & *Abmatertera*.

753. Duorum fratrum liberi ſunt *Patrueles*; duarum ſororum, *Conſobrini*; fratris ac ſororis, *Amitini* & *Matrueles*; ſed horum omnium indiſtinctè, *Sobrini*.

754. *Parentum officium* eſt, *Educationi* com-

Linea propinquitatis est quasi scala in quâ distincti gradus ejus numerantur.

communiter attendere; h. e. adsvefacere prolem ad operositatem, moralitatem, pietatem; retrahere v. ab ignavia, morositate (ne incompti, impexi, illoti, sqvalidi, incedere consvescant) impietate: sed materculæ qvædam nimis blandiri ac indulgere solent filiis, præsertim unigenitis, quâ corruptelâ illi fiunt *immorigeri*, tandemq; *degeneres*.

755. *Ingenui liberi* genitoribus suis obseqventes sint ad nutum; impatientiam & murmura, multoq; magis contumaciam, & pervicatiam, fugiant, ne illis moveant iram, aut dehonestamento sint.

756. Parentum quoq; est, liberis colligere *hereditatem*: & *posthumi* (post parentale funus nati) participes fiunt; sed *spurios*, & *nothos*, exhæredes esse jura volunt.

757. Si præmaturè demoriuntur, relicturi post se superstites *orphanos minorennes*, addecet constitui testamento *Tutores*, orbitatis præsidium: qui perinde ac suos ab injuriosis vindicare, dumq; deponenda est tutela, rationem reddere *pupillis* debent, juxta *Inventaria*, nihil esse abalienatum.

758. Qvum *majorennes* ipsi inter se herciscunt

ciſcunt bona, maximo natu competit tri-butio, minimo natu præelectio, & ſic conſequenter: ſed alicubi primogenitus fit heres ex aſſe: alibi legatarij etiam litigant, legato non contenti; potiſſimùm ſi quis inteſtatò decedat.

LXXXI.

Societas Herilis.

759. Auctâ per ſobolem familiâ (vel etiam imminutâ) opus eſt ſervitiis domeſticis conduci *famulos* & *famulas*: quorum reſpectu parentes fiunt *Heri* & *Heræ*.

760. Olim *Servi* legebantur, aut emebantur, è captivis, ideoque dicebantur *Mancipia*, in quos vitæ & necis poteſtas fuit: ſervorum nati fuerunt *Vernæ*, ſimiliter in ſervitute manentes, donec fierent à Dominis liberi per manumiſſionem, atq; tunc dicebantur *Liberti* & *manumiſſi*: apud nos rigor iſte *non immeritò* deſiit; ſerviunt pauperiores mercede conducti, habenturq; inſtar *clientum* & *clientarum*, ſub *Patronis*, quos ſibi elegerunt.

761. *Herorum munus* eſt, præbere illis

mercedulam & alimoniam; distribuereq́; quotdiebus laborum pensa; intervisere tandem, an quisq; sua agat, & quomodo: (in majori familia officia quoq; distribuuntur, ut alius sit *janitor, mediastinus, scoparius, pedisequus*, &c): *Servorum* a. est, heros diligere ac honorare, demandatas operas fideliter exsequi, præcavere incommoda, cum conservis vivere concorditer, non oggánire impudenter, &c, ni serviliter tractari velint.

LXXXII.
Oeconomicæ mutationes.

762. Fit interdum *immutatio status Oeconomici*: cùm vel *habitatio* ipsa, per demigrationem aliô, transfertur; vel *cohabitatio* familiarium disrumpitur.

763. Nam si familia increscat, ut eam Domus capere, aut locus sustentare nequeat ampliùs; vel speratur alibi melioratio rei familiaris; *commigratur* inde aliorsùm, convasatis, & unâ translatis, reculis mobilibus; immobilibus autem divenditis.

764.

764. Conjuges interdum sejungit alterutrius adulterium, ut inter ipsos fiat *Divortium*: sed nullâ de causa repudiare nuptam, tantùm quòd connubialem vitam cum illa degere displiceat, barbaries est.

765. Quidam *improles* adoptant extraneos, qui dicúntur *filij adoptivi*, adoptionisq; jure heredes fiunt: rursùm alij filios, propter propudiosa facta, exheredant; imò & quandoq; è familia abdicant.

766. Atque tum, per filii *abdicationem*, vel *emancipationem*, sicut & filiæ *elocationem*, cessat parentale officium; herile autem, si famuli servitium *resignant*, aut nos ipsi eis *renunciamus*: sed cùm *Conjugium* à viduatis *reiteratur*, aut alienigena proles *adoptatur*, aut famulitium novum *adsciscitur*; ibi mutatio permutatione pensatur.

LXXXIII.

Politia: *ubi lustramen Urbis.*

767. Multarum familiarum sub unum regimen reductio, RESPUBLICA dicitur: eô instituta, ut omnes tranquillè

degere, & sua impræpeditè agere queant, neque potẽtior opprimat imbecilliorem.

768. Ad hanc rem opus est (1) *Domiciliorum adunatione*: quæ minor, *Pagus* dicitur; major, *Oppidum*; maxima, *Urbs*. (2) *Ordinum limitatione*, ut alii præsint, cum potestate & jurisdictione; alii subsint, cum subjectione & obsequela. (3) *Legibus certis*, quib⁹ omnes & singuli in unum corpus colligati sint.

769. Regiminis forma triplex est: quippe Rempublicã administrat (1) alicubi ipsa *Plebs*, per vices inter se officia permutãs; dicitur *Democratia*: (2) alicubi *Optimates*, diciturq; *Aristocratia* (3) alicubi unus sol⁹ rerum potitur, diciturq; *Monarchia*.

770. Circumvisamus *Urbem*: ubi quæritur, ut habitari queat *Tutè*, *Amænè*, *Cõmodè*.

771. Tutæ habitationi circummunitio servit: qvum Oppidis extrorsùm circumdantur *mœnia*, *fossæ*, *valla*, imò & *Valli*: inter quos intervallum est, introrsùm verò *Pomœrium*, quâ civibus accessus datur ad munimenta: editioribus tandem locis *Speculæ*, in quibus *Excubitores* civici excubant, *Vigilesque* vigilant.

772.

772. Ad *Portas* (valvis bipatentibus firmissimis, & cataractis deinsuper impendentibus, permunitas) sunt *Pontes*, (seu stabiles seu subductiles), quâ ingredi licet; munitiones transcendere (superscandere) capitale est.

773. *Amœnam habitationem facit* amœnitas *sitûs*, & elegans *prospectus*, & decoramenta *Turrium*, tandemq; nitida *Platearum* inædificatio: nempe ut primarij *vici*, ædes utrinq; habentes contiguas, sint ampli; licèt juxtim transcurrentes angiporti, ut plurimùm angusti & impervij sint.

774. Domuum anteriora sint præstructis porticibus pervia, ut pluviosâ tempestate siccus pateat transitus: ipsæ v. plateæ lapidib9 stratæ, ne ambulationes sint lutosæ.

775. *Commodè* habitatur Urbs, si loco salubri (non ad palustria, virus exhalantia) sita; & cui benè prospectum est omnibus necessariis: exempli gratiâ, Ædificiis publicis; & Aquâ ultrò affluente; & facilè parabilibus victualibus, lignis, &c.

776. *Ædificia publica* sunt: *Curia*, pro conventu Senatûs; *Prætorium*, pro exercendis judicijs; (cum adstructo *Carcere*

 pro

pro delinquentium *custodia*;) *Ærarium* & *Armamentarium*, pro asservando ære publico, & armis; *Scholæ*, pro exercenda juventute; *Templa*, pro conventibus religiosis; tandem *Balneæ*, pro diverso sexu diversæ: ubi lauturi vestimenta exuunt in apodyterio, custodienda à *Vestispico*, castulâq; præcincti ingrediuntur.

777. Dehinc sunt: receptacula mendicabulorum, *Ptochodochia*; & ægrotantium, *Nosocomia*; & pro enutriendis misellis pupillis, aut [sicubi probra ista fiunt] exposititijs, *Orphanotrophia*; & pro introducendis hospitibus peregrinis, *Hospitalia* (Xenodochia); atq; ubi advenæ divertant, *Diversoria*; vel etiam ubi edulia semper parata reperiantur, *Popinæ*; sicut potulenta in *Cauponis* & *Oenopolijs*.

778. *Fora* pro rebus venalibus esse debent in populosa Civitate plura, & locis distincta, ut scias ubi quid quæras: alibi nimirùm forum *pecuarium* (equarium, boarium, suarium, &c); alibi *olitorium*, *piscarium*, *carnarium*, &c; *scrutarium* deniq;, ubi *Scrutarij* scruta quævis, & ablecta, venditant; *Mangones* a. vestes interpolas, quas

quas circuitores vendere non possunt.

779. *Opificinæ* habentes aliquid sordiũ, aut strepitûs, optimè locantur in suburbio; ut *Lanienæ*, *Ustrinæ*, *Cerdonum* sordescentes, & *Fabrorum* strepitantes, officinæ: *Cloacæ* v. & *Foricæ*, in recessibus platearum.

780. *Aquæductus* fiunt ab Aquilege, seu per incilia aperta, seu per Canales occultos, è scatebris montanis derivatos, & in *Castella* [Aquaria] hinc inde aquam effundentes: in defectu aquæ fontanalis, fluvialis diffunditur machinis tractoriis; aut effodiuntur *Putei*, crepidine oras circumdati: unde aqua situlis, aut urnis, hauritur; sive *uncino*, sive *girgillo*, sive *tollenone*, sive *antliâ*: ubi ne talium quidem copia est, constituitur loco depressiore *Cisterna*, in quã aquæ pluviales per collicias confluunt.

LXXXIV.

Societas Civilis.

781. Ut omnibus *Urbicis* benè sit, opus est eos distingvi in *ordines* certos; & assignari cuivis functionem certam; provideri denique, ut agat quisq; sua, aut si quid exorbitationum est, recorrigatur.

782. *Ordo Civium* est; quòd alii sint *Patricii*, claris prosapiis oriundi; alii *Ephori*, in *Magistratum* cooptati (sive suffragiis, sive subsortitione); alii *Plebs*, privata curantes; omnes familiarium cognominibus, propriisq; prænominibus, vel agnominibus, secernendi.

783. *Magistratuum* primores sunt, *Senatores*, publicæ saluti invigilantes; & *Prætores*, litigiis componendis vacantes; *Ædilésque*, publicarum ædium inspectores; & *Tribuni* plebis, ut populus in ordine bono, & collegium quodvis intra Statutorum & privilegiorum suorum limites, contineatur, procurantes.

784. Hi alicubi in *Duumviros, Triumviros, Quatuorviros, Septemviros, Decemviros, Centumviros*, &c. dividuntur: quorum officium est *Plebiscita* ferre (sed ad ratihabitionem Senatûs): horum tamen jurisdictio (duũviralis, triumviralis &c.) diuturnior non est, quàm in duumviratu (septemviratu, centũviratu &c.) relinqvũtur.

785. Dum *Senat⁹* in *Curia* (ubi Albũ Senatoriũ, & Matricula Civium, & Acta civica, asservãtur) consessum agit, *Cõsul* (anuatim

tim directioni præsidés, aut *Procõsul*) deliberãda proponit; *Cõsulares* Viri sententias dicunt; *Syndici* assidentes intricatos casus decîdunt; *Notarij* conclusa consignant. [N. Romani desperatis in reb⁹ deligebant *Dictatorem*, qui absoluto arbitratu imperitaret quibus vellet, quicquid vellet.]

786. Opifices habent sodalitates suas, suasq; *Curias*, ubi novitius, artificium professus, specimen exhibet *Curionibus*, demumq; in ordinem recipitur: infima plebs sunt *Mercenarij*, *proletariaq; multitudo*.

787. Civium est præstare sibi mutua officia; licèt alius præ alio sit honoratior, aut magis privilegiarius, h. e. à censu & oneribus immunior: [solent n. indigenæ quidam eximi; peregrini vectigales sunt eorumq; bona caduca.]

788. Quando Cives rarefiunt, admittuntur novi *Municipes*; quando superabundant, emittitur aliò *colonia*, ut ex ijs, aliisq; convenis, novum fiat municipium.

789. Magistratuum est videre, ne quid detrimenti respublica capiat: quod fieret, *si permitterent* (1) quenquam civium *otiosè vivere*; neq; rebus suis advigilare: (2)

aut *se vestire supra statum*, alióve luxu prodigere patrimonium: (3) aut rursùm *facere quæstum malis artibus*, & aliis præripere sua: (4) aut *tolerarent inhonestamenta publica*, comessationes, scortationes, popinationes, ganeas, lupanaria, juventutis labes: (5) aut *functiones publicas distribuerent* secundùm personas, non secundùm aptitudinem: (6) *conniverent* ad omnia præpostera: (7) *non sufficerent* defunctis alios: (8) aut *non contribuerent Salaria* iis, qui publico ministrant.

790. Enimverò in benè constitutis Rebuspublicis, ad omnia sunt *Leges severæ*, non facilè novandæ, nedum temerandæ [ut sumtuariæ, & de rerum pretiis, & manu preciis, &c, ut ne quis exlex, aut illex, sit, defraudaréque alium possit] & in legum violatores *Exsequutio justa*, sine prosopolepsia: eoq; *Examina anniversaria*, ubi quisque, quâ ratione victum quærat, &c. &c, rationem reddere cogitur: ne cui suô malo liceat esse otioso, aut in alios iniquo: aut ostiatim mendicitatem exercere, &c; imò Magistratus etiam ipse, si quem expilavit, *repetundarum* tenetur.

791.

791. Hæc nisi observantur,[imprimis autem ut Juventus rectè educetur] subnascitur indubitanter perturbatio rerũ, furta, rapinæ, latrocinia, meretricia, mutuæ oppressiones, pauperies, subversio denique, tantô faciliùs, quãtô respublica populosior fuerit.

792. Specialis Magistratuum cura est, in providendo communitati de *Sufficientia rerum*, & *præsidijs Valetudinis*, & *administranda Justitia*: illud per *Mercatores*, istud per *Medicos*, hoc per *Judices*.

LXXXV.
Mercatores.

793. Quia non omnis fert omnia tellus, communicare sibi bona sua debent homines; qvæ superfluunt hîc, transmittendo alio, & qvæ desiunt hîc, asciscendo aliunde, tametsi è transmarinis locis; cui negotiationi *Mercaturæ* nomen est, occupatæ circa invectionem & evectionem rerum, suo & reipublicæ bono.

704. Invehenda sunt (ope *Vecturæ* & *Naviculariæ*) necessaria, quæ domi desiderantur, ut defectus sarciatur; rursumq;

eve-

evehendi quæ supersunt, ne sine usu depereant: hæc summa est mercimoniorũ ratio, exercẽda facillimè in locis opportunis, maritimis, & ad fluvios navigabiles sitis.

795. Mos fuit diutinus *merces* ipsas permutare [sed necdum submutationes ejusmodi usurpari desitæ sunt]: postea dependebatur *infectum æs* (argentum, aurum) secundùm rerum indicta pretia: tandem reperta est (dudum jam) *Moneta*, h. e. æs signatum charactere valoris, quô & indicatio precij, & licitatio, & contractio, & solutio, expeditiùs procedit: nunc & pecuniam per *collybum* cambiunt, valdè compendiariâ viâ.

796. *Mercatores* majoris nominis merces suas mittunt venundandas ad celebria Emporia: sed *Institores*, *Tabernarij*, *Nundinatores*, oppidatim circumcursitant, inq; nundinis anniversariis, aut mercatibus hebdomadariis, sub cadurcis sua venum exponunt, venditaq; cucullis involvunt: *Propolæ* sua viatim, vicatim, angulatim, domesticatim, distrahunt.

797. Venditionis genus est, cùm res veneunt *Auctione*: ubi Venditor circumsisten-

sistenti turbæ rem promercalem circumversando ostentat, & quanti liceat indicat: tùm Emtorum aliquis *licetur*, alius (pretium aúctando) *contralicetur*; donec plurimùm *pollicenti* res addicatur.

798. Sed quia fraudes interveniunt, catum esse in mercando oportet: rari quippe commercantium lucello contenti, plerique nimium quæstum quærunt, magni vendentes, quæ vili emerant; & tamen, ne sibi res deprecietur, exjurant tantidem sibi constare: aut supponit impostor merces vetustas, obsoletas, situ corruptas, pro recentibus: aut adhibet mensuras fallaces, numismata ærosa, &c.

799. Caritas annonæ, aliarumq; rerum, subinde ingravescit, aut remittit, pro earundẽ abundantia, vel penuria: (rarum n. carum, & carũ charum): sæpè tamen monopolæ in culpa sunt, qui omnia præmercando, & postea pro lubitu taxãdo, comunitatem vexant; cui nunquam benè consulitur, si monopolia permittantur.

800. Ubi res delibrata superpondio adaugetur, *appendix* est; si quid adjicitur, *mantissam* vocant: sed expendere libera-

beraliùs, facit dispendia, quæ depauperant; parciùs, compendia, quæ opulentãt.

LXXXVI.

Medici: *cum* Pharmacopolis & Chirurgis.

801. *Intemperantiâ morbis accersi*, verum est: sed & hoc, vix quenquam in hac jam rerum corruptione tam accuratè vivere posse, quin ægritudines obveniant.

802. *Medicus* ergò præscribit sanis *Diætam*, ægris *Pharmaca*.

803. *Diætam* (quæ optima est medicina, quippe securissima, & sine violentia) præscribit; dum moderari docet *Cibum & potum*, *Somnum* & *vigilias*, *Repletionem* & *exinanitionem*, *Corporis* & *animi commotiones*; ne quicquam istorum ante naturale desiderium admittatur, nec extendatur ultrà satietatem, nec aliter adhibeatur, quàm expediat.

804. Ægrum invisens, non aggreditur medicationem temerè [ut *circumforanei medicastri*, & *Mulomedici*, solent]: sed *indagat* priùs *Mòrbi speciem*, *sedem*, *causas*,

non

non tantùm ex decumbentis relatione [quâ parte quid doleat, &c]; sed aliis signis: nempe [1] *functionum læsione*; (quæ facultatis animalis statum demonstrat): & [2] *ex arteriarum pulsu* (qui, quomodo se vitalis facultas habeat, prodit): & [3] *ex inspectione lotij* (quod facultatis naturalis constitutionem detegit.)

805. Facultatum deprehenso statu, instituit *Prognosin*, letalisne sit morbus, an salutaris, vel anceps: eóq; præcognito, irremediabilem (immedicabilem) relinquit intactum; salutarem aggreditur medelis cõfidenter; ancipitem, nonnisi dubios præfando eventus: præsertim die critico, vel anno climacterico.

806. Dum suscipit curam, ante omnia mitigat dolores, mitigatorijs certis: & conservat naturalia, quæ in ægrotante superesse videt [ut natura sic corroborata, propellere sibi inimica juvet: demumq; præternaturalia illa oppugnare infit; jam *diæteticis* (sæpè n. solâ abstinentiâ & quiete magni morbi curantur), jam *pharmaceuticis*, jam *Chirurgicis*.

807. *Diætâ* reficit & augmentat diminu-

nutas vires: non tantùm alimenti & quietis moderatione, sed & fomentationibus ac frictionibus externis, & suffitu.

808. *Pharmacis* profligat ea, quæ molesta sunt; tùm illa alterando, tùm evacuando, tandem membra confortando.

809. *Alterantia* (remedia) sunt, quæ calefaciunt, aut frigefaciunt, humectant aut siccant: tùm verò, ut materia peccans faciliùs educi possit, præparatoriis eam attenuat vel incrassat, relaxat vel adstringit, emollit vel indurat, prouti res postulat.

810. *Evacuantia* sunt, cùm *Vomitoria* & *Purgantia* (per dejectionem), & *Diuretica* (per urinam): tùm *Sudorifera*, & *Sternutatoria*, & *Gargarismi*, &c. quibus eliminantur humores exitiosi; *Antidota* item (*Alexiteria*, seu *Alexipharmaca*) quibus peremtoria venena; & *Amuleta*, quibus fascina, pelluntur.

811. *Roborantia* sunt, quibus membrum aliquod peculiariter confortatur: ut pectus *Thoracicis*, cor *Cordiacis*, ventriculus *Stomachicis*, jecur *Hepaticis*, lien *Spleneticis*, renes *Nephreticis*, articuli *Arthriticis*, &c.

812. Profligatâ invaletudine, recupera-

rataq; sanitate, Medicus cum revalescente *Soteria* celebrat, & ab illo *Sostrū* remuneratur: sed restitutio semiperfecta (dum quis non integrè convalescit, etiamsi relevatum se sentiat) facit aut *Valetudinarium*, infirmitatibus obnoxium; aut quod pejus, *Clinicum*; aut quod pessimum, illidit in *recidivam*, penissimè estligentem.

813. In *Præscriptionib9* suis (*Receptas* vulgo vocitant) utuntur notis, ne nescias, talibus: ℞ *Recipe*; ℔ *Librã*; ß *Semis*; ℥ *Unciam*; ʒ *Drachmam*; ℈ *Scrupulū*; gr. *granū*; g. *guttulã*; p. *pugillū*; m. *manipulum*; ana, *de singulis tantundē* &c. Vocant a. id, quod inter ingredientia primarium est, *basin*; reliqua *adjuvantia* & *corrigentia*.

814. Juxta cujusmodi formulas minister Medici, *Pharmacopæus*, medicamenta in Laboratorio præparat, includitq; liquida vitreis guttis, & ampullis; arida ligneis capsellis, & pyxidibus; reliqua fictilibus seriis ac fideliis, vel stanneis lagenis: & adscriptâ cuivis nomenclatione suâ, circumponit per Repositoria.

815. Materiam medicamentariam comportat undecunq;, ut nec ipsa rerum ex-

crementa, imò toxica, aversetur (quippe nihil est, quin aliquid medicamentosi contineat); potissimam tamen partem desumit ex herbis, ideoq; *Botanicū* esse cōvenit.

816. Gregales horum *Chymici*, non quasvis promiscuè medicinas, sed solummodò spirituosas, parant, extrahendo rerum intimas essentias: quia profundiores rerum tenaciorū vires non patiuntur tundendo, aut macerando, separari, vi ignis exurgendæ sunt: cōvertendæq; aut in *Spiritum* & *Oleum*, destillando; aut in *Flores*, sublimando; aut in *Sal*, calcinando.

817. Quibus operationibus eliciuntur primò, *Decocta* & *Succi*, medicinæ fluidæ: secundò, *Balsama*, *Extracta*, *Tincturæ*, molles: tertiò, *Pulveres* & *Croci*, *Magisteria* & *Crystalli*, siccæ: ex quorum porrò mistura parantur medicinæ compositæ quàm plures, intùs vel extra usurpandæ.

818. Intùs sumuntur, melle vel saccharo conditi *Julebi*; & his paulò concretiores *Syrupi* & *Linctus*, fluxa; tùm *electuaria*, *Conservæ*, *Theriaca* (Mithridatium) & varia *Condita* mollicula: deinde *Confecta*, *Pilulæ*, *Pastilli* (Rotulæ) & *Trochisci* orbiculati,

lati, *Morsulæ* conquadratæ, &c. solida.

819. A foris corpori applicantur *Linimenta* & *Unguenta*, mollicella; *Cerota* & *Emplastra*, spissiora; Oculis, *Collyria*; dentibus, *Dentifricia*; ventri, *Fomenta*; ano, *Clysteres* & *Turundi* (Suppositoria) &c.

820. *Chirurgus* Medico manum commodat suam, ubi ferrô aut igne medendum est: Venas nempe phlebotomo secans; verrucas, aliasq; excrescentias, exsecans; abscessus aperiens; ossa scabra radens, prominentia limans, emortua serrâs, aut (ob subtus latens pus) perforans; carnes putridas cauteriis perurens, causticisq; medicamentis *fonticulos* suscitans, ad pravos humores erivandos.

821. Idem membra *luxata*, aut prolapsa, reponit suis locis: intorta v. curva, gibbosa, ad nativam figuram reducit: è *Vulneribus* festucas, tela, & alia forinsecùs illapsa, eximit, vulnerumq; labra suturâ coadunat; *fracta* ossa calli inductione consolidat; adhibens ubi opus deligationem, quæ fit spleniorum fasciatione, interdumq; asserculorum circumligatione.

LXXXVII.
Judices: cum Judiciario processu, criminalique Exsequutione.

822. Incolumitas Reipublicæ conservatur Judiciorum administratione: quâ solâ securitas cuiq; sua constat, dum violentiæ sistuntur, & in violatores animadvertitur: ad minimum adversùs omnem alieni usurpatorem protestari, & ad jus provocare, licet.

823. Forma Judicij triplex est, (1) per *amicabilem Transactionem*; (2) per *Juridicialem Processum*; (3) per *Exsequutionem rigidam*.

824. *Amicabiliter* componuntur controversiæ inter partes ipsas, rariùs immediatè, sæpiùs interveniente tertio: sive ultrò seipsum interponente, sive delecto, in quem & compromittunt utrinque, acquicturos arbitrio ejus: *Arbitrum* vocant, judiciumq; *arbitrarium*.

825. Si pacifica non allubescunt media, & jure experiri collibet, sectantur *Forum*: ubi *Judex* publicâ authoritate armatus,

tus, ministerijsq; Apparitorum, Accensorum, Præconum, instructus, præsidet; die fasto judicia exercens, nefasto abstinens.

826. *Actor Reum* notorie improbum aut in jus rapit, causamq; summario processu (de simplici & plano) decidi petit; aut processu juridico acturus, (sunt n. ad omnia constitutæ formulæ) per *Causidicos*, eidem reo dicam scribit, cum in jus arcessi postulans.

827. Citatur ergò Reus, vel ad *tribunal Prætoris*, vel ad inferiorum Judicum, *Scabinorum*, subsellia: qui aut prætendit causulas, ut legali exceptione forum declinet; aut indictâ die se sistit; seu per se, seu per *Procuratorem* (Mandatarium) suum.

828. Percipitur accusatio & excusatio: Accusatusq; obiectam culpam aut fatetur & excusat, aut diffitetur: atque tùm producuntur probationes, per *Testes* juratos, si eorundem authoritas, & nuda assertio, non sufficiat: sed jusjurandum præscribitur verbis conceptis, ne jurator per æquivocationem eludat.

829. Si non illicò definiri potest causa, vadantur [vadimoniô obstringuntur] *Litiga-*

 tiga-

tigatores, ut ad præfinitum diem compareant: *Vadibusq;* datis, vadere utrique parti licet, & suum instruere *Advocatum*, ut quisq; clientis sui causam tueri sciat.

830. *Judicis* incorrupti est, clancularias delationes non admittere, sed delatores ut apertè agant compellere: causas non prolatare, sed insistere: perplexationes & sycophantias non sufferre, sed inclamare: vitareq; præjudicia, nec favore aut odiô hûc vel illûc propendere, aut largitionibus corrumpi; sed simpliciter, secūdùm probatorum evidentiam, causarumq; merita, decernere; absolvendo *Insontem*, damnando *Sontem* (etiam ad refusionem expensarum litis) ne protervia maneat impunita, sed luat qui peccavit.

831. Antequam definitiva sententia feratur, *Præses* requirit *Assessorum* vota: communiq; consensu decreta rata habet, non retractat, aut rescindit.

832. Promulgatâ causæ decisione, ocyùs fit *Exsequutio*; nisi alicujus intercessione dilatio impetretur; aut pars condemnata causæ recognitionem petat, & duplicâ [triplicâ, quadruplicâ,] se defendat; aut deniq;

niq; ad judiciũ superius appellet: quô casu *justitio*, *comperendinationi*, vel etiam *sequestrationi*, locus est: at quod superior judex decreverit, controversiæ imponit finẽ, nec Vitilitigatores relinqvuntur impunes,

833. Manifestariis *prævaricatoribus* infliguntur pœnæ atroces, ut à sceleribꝰ deterreantur alij; ubi sceleratos nebulones *Lictor* rapit, loris ligat, vinculisq; vincit; injiciens manibꝰ *manicas*, pedibus *compedes*, collo *numellas*; & detrudens aliquos in *Ergastula*, ubi compediti servilia opera exsequantur; alios rursùm spectaculo exponens, *Cippis* in propatulo erectis; alios tradens *Carcerario*, in carcere custodiẽdos, & fame, squalore, pedore, enervandos.

834. Enormes *malefici* traduntur *Carnifici*, subjiciendi tormentis: h. e. imponendi *Eqvuleo*, & prægravandi ponderibus; aut *fidiculis* distringendi, distorquendi, adurendi, & sic cruciandi, si citra torturam confiteri nolint, quæ propemodum notoria sunt: ut in confessos demùm constituatur supplicium, juxta promeritum.

835. *Scorta* & *Scortatores*, cæduntur virgis, aut flagris: *Prostibulis* impudicis inurun-

uruntur stigmata; ut & *Proditoribus* ac *Falsariis*: *Sacculariij*, *Abigei*, *Peculatores*, fustibus, aut mulctâ, multantur; vel strangulantur suspendio, in patibulo suspensi: alicubi & illorum *complices*, qui res surreptas clanculùm receptant, *compilatoribus* ipsis æquiparantur, æqualiq; noxâ afficiuntur.

836. *Mœchi*, *Raptores* (Effractores) *Plagiarij*, *Homicidæ*, & *læsæ Majestatis rei*, decollantur: *Latrones*, *Sicarij*, *Piratæ*, *Sacrilegi*, crurifragio plectuntur, olim affigebantur Cruci [seu Furcæ]: *Parricidæ*, *Fratricidæ*, *Infanticidæ*, insuebantur cum serpente culeo, aquisq; mersi suffocabantur: *principum interfectores* quadrigis in diversum actis discerpuntur, bona verò illorum confiscantur, aut publicantur: *Incendiarij*, *Sagæ*, & *Veneficæ*, super rogum cremantur: *Blasphemi* elingvantur.

837. *Calumniatores*, *Obtrectatoresq́*, maligni, & qui libellis famosis, anonymè scriptis, immerentes ignominiosè traducunt, itemq; convicti perjurij, mutilantur membro aliquo: aut condemnantur ad metallifodinas, vel triremes; aut exterminantur, h. e. proscribuntur & relegantur cum infamia,

mia, seu in locum certum, *Exules* dicendi; seu ad vagandum, *Extorres*: ut sic etiam Respublica purgamentis suis liberetur.

LXXXIIX.

Recreationū Ritus.

838. Ne fragiles vires labascant, aut elangvescant, cessatur quandoq; à serijs, temporisq; aliquid datur *ludicrū*: quæ defatigatos *spectatione* oblectent, aut *cōmotione* vegetent, aut *cōcertatione* refocillent: quæ tria lusoriarum vacationum genera, quidni etiam cursim prospeculemur?

839. *Spectacula* non injucunda vulgo faciunt *Præstigiatores*: qui gesticulationum mirâ volubilitate aciem oculorum perstringunt, ut miracula putentur, cùm tamen pernicitate res peragatur: nec non *Funambuli*, (papæ quàm audaces!) super fune in sublimi extenso non ambulantes solùm, sed & strictis cum ensibus subsultantes, dum haltere manibus gestato sese librant: itemq; *larvati Ludiones*, bacchanalia actitantes: similesq; *Circulatores*.

840. Plausibilius spectaculum præbent

Ludi scenici: ubi in *Theatro* ab *Histrionibus*, vel personatis *Mimis*, è Sipario in proscenium prodeuntibus, historicè repræsentantur memoranda quædam antiquiorum gesta: si argutè, applauditur illis; si inscitè, exploduntur & exsibiliantur.

841. *Actores* sunt, vel *Comœdi*, dum agitur Comœdia, variè turbatas res, sed cum læta catastrophe, exhibens; vel *Tragœdi*, dum Tragœdia, cū læto principio, sed tristi exitu: utrobique est *Prologus*, & *Actus* quatuor aut quinque; divisꝰ quilibet in *Scenas* personarū colloquentium aliquot: Spectatoresq; primarij cōsident in *Orchestra*, promiscuæ plebeculæ *Cavea* relinquitur: lucar tamen ab omnibus inspectātibus poscitur.

842. *Commovendo se* redintegrare vires quærunt, qui *Cursu, Saltu, Jactatu, Luctatu, Pugilatu, Equitatione, Vectitatone, Pilâ,* similibusq; comotiunculis, sese exercent.

843. *Cursu:* qui pedibus supervehuntur in glacie; aut sibi designando lineam, simul ac eam attigerunt, protinùs consistunt; & qui ultra eam procurrerit, aut citra eam substiterit, ludum perdit: inprimis a. Cursores illi, qui cursu contendunt in *Stadio;*

cur-

curſuram incipientes à Carceribus, & inter cancellos decurrentes ad metam: ubi quilibet prævertere cæteros laborat, primus tamen ſolus brabeum reportat, ab aſſidente *Brabeuta*.

844. *Saltatores*, ad Choraulæ modulos, Choragiq; [Præſultoris] ductu, varia gyratione choreas ducunt, & tripudiant.

845. *Jaculatores* Diſcos, & alia miſſilia, ante ſe in porrectum jaciunt (projiciunt), vel in auras evibrant, vel ad præfixum ſcopum collimando (collineando), eum tangere [ferire] contendunt.

846. *Luctator* in agone colluctatorem medio prehenſum proſternere nititur; ſed ille reluctando ipſum et affligere renititur: ubi ſupplantare, artis eſt; recellere, riſûs.

847. *Pugiles* in paleſtra cæſtibus, *Gladiatores* gladiis, ſub Laniſtæ directione, congrediuntur duellô, dimicationeq; gladiatoriâ decertant: ubi alter ictum infert, alter inhibet & propulſat; vincit a. qui infligit: *Andabatæ* pugnis pugnaturi, perridiculo certamine committebantur, prævelatis oculis.

848. *Equeſtre ludicrum* eſt, cùm *Equiſo* eqvum

eqvum injecto lupato frenat, poppyſmis mulcet, ex arte gradi, ſalire, converti, ſeſſoremq; molliter geſtare, docet; aut cum deſultor de equo in eqvum mirá celeritudine transſultat, &c.

849. *Pilæ* ludus datatim fit, ſive in ſphæriſterio, ſive alibi: cùm eam alter mittit, alter excipit, & remittit: ſive ſit *pila paganica*, pilis farta, & percutienda ferulâ; ſive *palmaria* (Harpaſtum), repellenda palmo, aut reticulo; ſive *pugillatoria* aëre diſtenta [Follis], reverberanda pugno.

850. Addamus luſionib9 motorijs pueriles iſtas: *Diffugium*, quô ſe fugitant & captitant: *Myindam* [vaccæ latebram], quâ ſe abſcondunt & quæritant: *Oſcillationem*, quâ ſe petauro [à trabe ſuſpenſo fune] agitant: *Inceſſum grallatorium*, greſſum divaricando ſuper *grallas*: *Ejaculationem Globorum* in ſcrobiculos; *Jactationem Globi*, ad dejiciendum conos: *Verſationem Turbinis* flagello: & *Eliſionem*, glandis ſtupeæ, è *ſclopo* ſambuceo, &c.

851. *Concertamen* fit ludendo *Par impar*; & micando digitis; & certando *facetijs*, propoſitisq; ad divinandum *ænigma-*

matibus & *captatoriis quæstiunculis*: tùm sortilegiis ut in *Alea*, ubi *Tali* [Tesseræ] per fritillum immittuntur (sed hoc ferè aleatorium est); aut ubi sorte & arte certatur, ut in *Calculorum* ludo, & *Chartis* lusoriis: vel denique solâ arte, ut in omnium ingeniosissimo *Latrunculorum* ludo.

852. Ludendum a. est, ut delectabile sit, cum coætaneis, & comparibus, idque cum sponsione: at non in res magnas, ut sit citra inquietudinem & solicitudinem (qualiter est, cùm pro sustinēdo *talitro*, vel *alapa*, seu *colapho*, vel pro evacuando scypho, luditur): & cum collusoribus bellis, qui te non deludant, aut jurgiis, devotionibus, obscenitatibusvè, festivitatem cōturbent: verumtamē diludiis quoque dandus est locus, ut cum congerronibus garrias.

LXXXIX.

Convivales Ritus.

853. Non prætereundi sunt *congressus oppidanorum convivales*, quatenùs vicinalis amicitiæ causâ instituuntur: sive magis privatè, ad *compotationem* vel *concœnationem*,

nem, ubi de collatis symbolis estur; sive magis publicè, ubi opulentior quis *convivationem* instituit, occasine diei lustrici, vel aliâs: sive cùm singulariter de republica meriti, publico sumtu quandoq; lauto *Convivio* excipiuntur, in Prytaneo.

854. Qvando convivandum est, *Archimagirus* esculenta, per *Obsonatorem* coëmta, aut à *Promocondo* subministrata, tradit apparanda coquis: *Architriclino* interim Triclinium curæ est, ut per triclinarios mensæ tapetibus insternantur, mappisque decenter extensis, supersternantur: tùm circumponuntur *Disci* [sive sint *Orbes*, sive *Quadræ*], & apponuntur *Cochlearia* & *Salinum*, panisq; è canistro depromti collyræ, aut bucceæ scissæ.

855. Demùm inferuntur *Fercula*, in patinis & lancibus; *Embammata* verò in patellis (scutellis) destituuntur: habetq; Convivium, quò magis opiparum est, eô lautiores *epulas*, variaq; pulpamenta, imò & diversos missus.

856. *Convivator* invitatos *Cõvivas* [quos tẽporius venire, quàm seriùs, civilius est] amicâ obviam-itione excipit, & introducit:

cit: cumq; super *malluvium* è *Gutturnio*, aut super *pelvim* (pollubrum) ex *Aquali* (urceolo) manus abluerunt, *Mantiliq*; (mundo inquinatum præbere incivile foret) terserunt, per disposita sedilia juxtim assidunt: [olim accumbere mos erat.]

857. *Structor* dapes appositas scitè deartuat ac dispertitur: *Prægustator* v. potiones prægustat, aut propinat promulsidem, quam discumbentes prælibant: adstante qui muscas, ne epulantibus infestæ sint, aut epulis illabantur, muscariô abigit.

858. Eduliorum prima sunt *Obsonia*; (*juscula*, *pulmenta*, *ova sorbilia*, &c.) non lambenda exsertâ lingvâ, sed sorbenda cochleari: cætera eximuntur furculis, & conscinduntur cultris, manubrio prehēsis.

859. Benè morati bolos ori moderatim ingerunt, non injectant; comedunt mansitãdo, non tuburcinando glutiunt, ne postea ructent aut singultiant; neque lingunt labia, si perunguntur, sed detergũt mappulâ.

860. Interim depromuntur è *Repositorio* potoria vasa, prolutaq; reponuntur in Abaco: dumque *Cellarius* merum *hirneâ*, zythum *obbâ* picatâ, promit, *Pincerna* id

è can-

è cantharo fusum, poculisque, calicibus, vitris & pateris, infusum, porrigit *Pocillatori*, hic a. convivantibus.

861. Tum fiunt *propinationes*, & pro salute hujus & illius circũpotationes, præbibuntq; sibi ad ebibendum uno haustu crateres; præsertim postquàm adbiberunt.

862. Sub extremũ tolluntur patinæ, cum buccellis, crustis, micisvé semesis, & aliis analectis, apportanturq; *bellaria*, & *salgama*: verùm enimverò festiva colloquia lepidæq; confabulationes, sunt lautæ tractationis, lætæq; epulationis, primaria pars; quia intercedente unius rei mentione, multissima edissertari possunt hilariter.

863, Convivali epulo peracto, surgitur à mensa, ei qui liberaliter tractavit aguntur grates, domumq; itur; si noctu, facibus prælucentibus: quanquam Helvones quidam, & antecœnio sumto, & abundè comessati, pocœnia superingerunt, ut se contumulent citiùs.

XC.

Ritus Sepulchrales.

864. Ultimum, quod sibi invicem mortales debent, est ex hac vita deductio; cujus non una observatur ratio, hodieque.

865. Quondam cadavera comburebant, cineresq; (odoratis liquoribus conspersi) condebantur propè *Busta* in urnis: & ne *Manes* oberrarent, faciebant illis justa (parentalia) feralibus epulis: conductæ verò Præficæ lessibus & næniis lugubribus deflebant, enumerando laudes defuncti.

866. Nos demortuos nostros humamus: qui à nobis complorati, & mox emortuali die lugubriter induti, vel etiam à pollinctore pollincti, includuntur *capulo* (Loculo), adornaturque *Funus* ritibus funestis: *Funus* nempe impositum *sandapilæ* (feretro) à sandapilariis effertur, exsequiæque fiunt pompâ funebri [viri incedunt pullati, fœminæ riciniatæ] *Cœmiterium* versùs; ubi sepelitur à Vespillone, qui & ossa interdum effossa refodit, aut in *Ossuario* recondit.

867. Benè meritis eriguntur ad sepulchra (tumulos) honoraria *monumenta*, *Statuæ*, *Epitaphia* &c, cantanturq; *Epicedia*; & recitantur solenniter *Encomia*: ita vi-

vi (honorifico luctu) parentamus mortuis.

XCI.

Regnum: *ubi Lustramen* Regionis.

868. Multarum Civitatum, aut etiam Terrarum, sub uno capite conciliatio, REGNUM dicitur; eô finc inita, ut virtus unita sit fortior, ad obsistendum illis, quæ dissipationem adferre possent.

869. Necessaria ibi sunt, (1) *Regio* ampla, multorum inhabitatorum capax. (2) *Digeries Statuum* ordinata. (3) *Legum sanctio* firmata.

870. *Regionem*, sub unum regimen redactam, bonum est esse ab aliis *disclusam*; seu nativis, marium, paludum, desertorum, montium vel fluminum, *limitibus*; seu arte factis, puta *concædibus* silvarum, limitaneis *arcibus* &c. [Uni Chinêses, quod sciamus, disclusêrunt se à Tartaria, muro quadringentarum leucarum, &c.]

871. Intra se *Regnum* dividitur in certos *Principatus, Comitatus, Dynastias*; ubi, si quis absolutè dominatur *Dominium* est; ubi

ubi duntaxat jurisdictionem habet. *Districtus* [bello devicta, & imperio nostro adjecta dicio, *Provincia* dicitur]: qualescunque a. sunt isti *tractus*, suis limitibus circumscribuntur regionatim: fruunturq; minora *Territoria* minoribus immunitatibus, majora majoribus.

XCII. Regni administratio.

872. *Regnum* est, ubi sunt *liberi Status*, statutorum vinculo inter se colligati; habentes infra se *Populum*, cui imperant; supra se a. *Regem*, vel *Reginam*, cui parent.

873. Inter Status primarij sunt *Proceres*, *Comites*, *Marchiones*, *Duces*, *Archiduces*, regulorum instar in suis Comitatib⁹, Marchionatibus, Ducatibus, dominantes: sub seq; habentes *Dynastas*, *Barones*, *Equites*, Dynastiarum quoque, Baronatuum, prædiorumqve, possessores; sive mancipi, sive ut *Vasallos*, jure feudi.

874. Populus superioribus suis per omnia obedit, *cēsusq̃*, *tributa*, *vectigalia*, quan-

doque & *capitationem*, pendit; ipsorum nempe *Quæstoribus, Tabularijs, Publicanis*: sed imperantibus imperare sic libeat, ut & subditis citra querelas & coactionem obedire collubeat: *angarijs* attenuandi, *exactionibusq́;* exhauriendi, non sunt: deliniendi potiùs *congiarijs*, & *donativis*: excarnificare suos, tyrannis est.

875. *Rex*, aut hereditariò capessit *Sceptrum*, (ubi regij stemmatis illud jus est, ut primogenitus succedat), aut vacante sede liberis *Ordinum* votis eligitur, accipitq́; cum homagio *coronam*: posteaquàm tempore *Interregni*, per interregem gubernatio administrata fuit.

876. Hic in *Regia* sua residens, (plerunque in *Metropoli*), delegat quaquaversùm *Vicarios, Præfectos*, (Satrapas), *Fiscales, Administratoresq́;* alios: quin & *Legatos* ad exteros legat, qui diplomate authē-tico instructi, res sibi commissas gerunt.

877. Circa se habet *Consiliarios intimos*; *Aulæ magistrum, Mareschallum, Cancellarium* (devolutarum ad Regem causarum cognitorem, Sigillique, & Archivi, Tabularumq́; publicarum, custodem: cui *Secretarij*

tarij & *Amanuenses* additi): Ministros item superiores, *Dapiferum*, *Pocillatorem*, *Thesaurariū*, *Stabuli magistrum*; & inferiores, *Cubicularios*, *Atrienses*, *Celeres*, *Stipatores*, & *Spiculatores*: [sed reverà Principem non tam tutantur *Satellites*, nec tàm locupletant *Fisci reditus*, aut repositæ *Gazæ*, quàm provincialium amor.]

878. *Eunuchorum* in Gynæcéis usus apud nos obsolevit: utinam & *Morionū*, *Gnathonum*, *Nugigerulorum*, & *Sycophantarum*!

879. Cùm Rex pro *majestate* sua se exhibet, (præsertim exterorum Legatis, ad audientiam admittendis, aut cum honorario dimittendis) sedet in *solio* eburneo, *trabeâ* magnificè vestitus, *diademate* ornatus *Aulicorum* frequentiâ stipatus.

880. In negotiis totum Regnum concernentibus, aguntur *Comitia*, ad quæ concietur *Nobilitas*, *Civitatumq́*; *primates*: ubi sufragij prærogativam habent, alij præ aliis; suffragari n. vel refragari, nemo debet invitus: sive lex quædam nova sancienda est, sive abroganda vetus, aut novanda moneta, aut ineundum fœdus, bellumvè decernendum, &c.

 881.

881. *Reges regum* appellant se Monarchas, & *Imperatores*, regnantq; ferè soli, absolutè: quanquam *Romani Cæsares Collegas* quoque sibi legere soliti sint; sed nunc (in Imperio Romano-Germanico) eliguntur à *Septem Electoribus*.

XCIII.

Regnorum turbæ, & Bella.

882. Pacatus status est optatissimus, sed fit nonnunquam, ut obtineri nisi vi armorum nequeat: sive quòd finitimæ gentes de confiniis lites movendo, nostra invadant; sive quòd potentes de eminentia inter se contendendo, populos bellis involvant, sive quòd domi etiam motus, non aliter quàm vi compescendi, suboriantur.

883. Puta, qvum superiores inferioribus jugum servitutis tyrranicè intentant; hi a: pro libertate sibi dimicandum, vel ad alium dominum deficiendum, censent: aut cùm factiosi quidam turbatores propter simultates privatas, clandestinas conspirationes (quocunq; prætextu) dissemi-

nant, & conjurationes, tumultus, seditiones, *rebelliones*, atque sic bella intestina, concitare moliuntur.

884. *Bellum* tamen ut anteveniatur, nihil non tentandum est, domi forisq; : nēpe cum confinibus depaciscendum, compactaq; subinde renovanda : domestici a subjurium æqualitate continendi, nec permittendæ in quenquam injuriæ : observandi apprimè inquieti, ad rerum novationē proclives, & quidvis causari callidi, ne quid molitionibus suis obtendere queant.

885. Coortâ nihilominùs conturbatione, requiri solet reconciliatio per internuncios; aut interpositio Vicinorum, quâ tumultuosi à pravis consiliis dimoveantur; aut mittitur ad ipsum hostem *Caduceator*, qui æquis conditionibus *pacem* petat; præsertim si quis imparatum se, aut hosti imparem, arbitretur : quandoquidem imbellem se bellicoso, inexercitatumq; exercitato, objicere, temerarium foret.

886. Si tamen hostis minax *pacificatores*, renuit, missoq; *Feciali* clarigat, h. e. hostilitatem denunciat, quàm primùm cogitatur de intercludendo illi aditu, & de

appa-

apparatu bellico: qui multa deposcit, *Militem* (tùm indigenam, tùm extrarium, sicunde haberi potest) *Fœderatorum* auxilia *Commeatum Sumtusq́;* dapsiles.

887. Itaque *stips* cogitur, *Conquisitoresq́;* oppidatim emittuntur, qui militaturos colligant, auctoramentoq; dato conducant: quos, jam conscriptos, & in diribitorium ad armilustrium deductos, *Diribitor* viritim lustrat, delectuque habito, & traditis armis sacramento obstringit, & sic authorat: alios levi, alios gravi armaturâ instruens, ut & defendere sese, & animosè impetere hostem, valeant.

888. Capiti turando offert *Galeam* (cudone subductam); pectori adoperiendo *Thoracem ferreum* (*Cataphracti* tamen circumquâque loricantur); sinistro brachio *Clypeum*, vel *Scutum*, ad excipiendos ictus, dextræ verò ad inferendos, *Hastam*: lateri *Gladium* accingit, vel *baltheo* appendit, ut è vagina stringatur promtiùs, evaginatusq; recondatur faciliùs, capulotenùs.

889. Dehinc concenturiat *Exercitum* per *Legiones* & *Vexillationes*; dum equitatum in *Turmas* chlamydatas, peditatum

in *Ce-*

in *Cohortes* sagatas, utrosq; a. in *contubernia*, seu *decurias* redigit: præficitq; decuriis *Decuriones*, Centuriis *Centuriones* [equestrib⁹ nempe, Magistros equitum; pedestribus, *Magistros peditum*] millenis, *Chiliarchos* (sive Tribunos); omnibus tandem, paludatum *Imperatorem*.

890. Horum adjuncti sunt, *Locum tenentes*, *Vexilliferi*, & *Campiductor*: quorum quisque sibi, ad res suas privatas curandum adsciscit Optionem, si vult.

891. *Dimachæ* & *Volones* aggregantur tàm Equitatui, quàm Peditatui; *Tirones*, prælusionibus aliquantulùm præexercitati, intermiscentur *Veteranis*: *Lixæ* & *Calones* (Caculæ) addicuntur servitiis.

892. Rebus sic dispositis, suscipitur quantocyùs *Expeditio*: *Metatorq;* castra metatur tali loco, qui frumentationi, pabulationi, aquationi, lignationi, commodus sit; hîc *Tentoria* ponuntur, figuntur paxillis: utq; *Stativa* tuta sint ab incursionibus, circumvallantur aggeribus.

893. Instituuntur tamen excubiæ, per stationes certas, necunde inopinatò superveniens hostile agmen, incautos pes-

 sun-

fundet :- daturq; à *Vigilum præfecto* [Tesserario] tessera, quâ sui se recognoscant.

894. Emittuntur interea *Speculatores* & *Exploratores*, qui hosticas machinationes clam observent, reducesq; visa & audita referant: insimulq; catervatim excursiones fiunt, obviaturæ depopulantibus, ubicunque occurrentibus.

895. Qvum tandem ad *prælium* educuntur copiæ, ordinantur in *aciem* (cuneatam vel quadratam) sic, ut *Pedites* occupent medium, *Equites* alarij sint: *Signiferi* 2. inter medias catervas signa ferunt; quos *Antesignani* cum rhomphæis præcedunt: *Tympanistæ* v. tympanorum strepitu, *Æneatores* tubarum & lituorum clangore, classicum canentes; *Duces* verò circumequitantes, hortatibus & obsecrationibus ad strenuitatem inflammant.

896. *Velites* usitatè hostem incessunt, & faciunt pugnæ initium, velitando: mox *Primipilorum* Legiones concurrunt, truculenterq; cominùs & eminùs, pugnant: sive pugna sit stataria, sive gradaria.

897. In longiùs dissitos olim *Funditores* è fundis, & *Ballistarij* è catapultis, ejacu-

laban-

labantur lapides: postea *Sagittarij* è pharetris sagittas promentes, imponebant Arcub⁹, hosq; nervo tendentes & dimittentes, hostem ingruentẽ eminus arcebant, ac protelabãt; hodie *Sclopetarij* pulvere nitrato, globisq; plumbeis, sclopeta onerant, post displodunt, & obvios transverberant.

898. Propiùs distantes irruere prohibentur *pilis* & *sarissis*; irruentes nihilominùs trajiciuntur *lanceis* & *bipennibus* magno nisu vibratis.

899. Proximi proturbantur *calis* & *clavis*; vel cæduntur *ensibus* & *semispatis*; vel obtruncantur *acinacibus*; quin & punguntur *frameis* & *pugionibus*: sicq; strages miseranda, dum hinc & illinc promiscuè cadunt, & conculcantur, atque proteruntur, ejulatu horrendo.

900. Novissimè producuntur *Triarij*, & *Prætoriani*, conflictusq; redintegratur: dumq; *succenturiati* ex insidiis hostem invadunt, disturbant ipsius aciem, fugant, insectantur, contrucidant.

901. Qui, terrore perculsi, excedere, erumpere, evadere, elabi & effugere, quærunt: si diffugij spes non est, dedunt se, ut

capi-

capiantur: sed qui cædem & captivitatem evaserunt, dispersim palantur, donec à suis aggregentur, aut inveniant confugium.

902. Quando nox pugnam dirimit, receptui canitur, victorq; miles prædam, & devictorum manubias, diribet: nî hostis, recollectis dissipatis suis, dimicationem redauspicetur.

903. Urbs rebellis, vel arx, quô sese receperunt profligati, copiis cingitur, obsidetur, obvallatur, oppugnatur, donec expugnetur; h.e. occupetur, aut recuperetur.

904. Multifarij hîc adhibentur machinatus: aliquando impetu furiali muri scanduntur, admotis scalis, vel advolutis turribus ambulatilibus, è quibus demissâ *exostrâ* [ponte arrectario] opugnatores insiliunt muros.

905. Aliâs diruuntur muri adactis *Arietibus*, vel libratis è *Ballista* saxis: hodie è *Tormentis* fulmineis, post gerras cratitias, (terrâ oppletas,) locatis, demoliuntur firmamenta qvæcunqve.

906. Inventum quoque est Portas violenter dirumpendi instrumentum, *Impetarda*, excogitanturq; in dies alia *vafra-*

men-

menta (stratagemata): imprimis *suffossiones*, sive occultæ, per *cuniculos* subterraneos; sive apertæ, sub *pluteis*.

907. At *Obsessi*, ut se defendant, relinqvunt nihil intentatum: exstruunt *antemuralia propugnacula*; & hæc præsepiunt *sudetis*, ad excludendum accessu hostem: aut spargunt per submœniana *muricos ferreos*, & superfundunt irrumpentibus ardentem picē intùs item opponunt murorū dirūptioni abscissiones, per fossas novas, ubi introrumpentes præcipitia inveniant.

908. Solent etiam præsidiarij, *Castrum* propugnãtes, facere eruptionem, & an obsessores suos abarcere queant, tentare; sed repelluntur, &, majore vi debellantur, donec angustati, aut deficiente commeatu, & cùm suppetiarum spes nulla est, *inducias* petant [quæ, datis utrinq; secùs *obsidibus* ad horas aliquot panguntur, aut etiam prorogantur] deditionem tractare incipiant.

909. Qui se pactitiâ deditione submittunt, nanciscuntur coditiones honestas: sed vi expugnatâ Civitas diripitur, aliquando ad internecionem deletur, & sic funditùs desolatur.

910.

910. Obtentâ *victoriâ*, *Victores* spoliis onusti, trophæis erectis, jubilantesq; & ovantes, aut etiam triumphantes (*Triumphus* enim sollenissimâ pompâ agitur.) à militia reveniunt.

911. Ubi *Strenui*, quorum virtus principaliter enituit, ob heroica facinora *Insignibus* condecorati nobilitantur; *Saucij* sanantur, *Captivi* redimuntur, aut permutatione liberantur, atque ita postliminiò ad sua redeunt: contrà turbarum authores, defectores, perfidi, proditores, perduelles, plectuntur, commilitonumq; desertores & transfugæ puniuntur.

912. Ultimò miles in *hiberna* distribuitur: aut si bello finis est, *stipendijs* exsolutis (quantum quisque meruit), exarmatur, & exauthoratur; emeriti rude donantur: qui pro Patria occubuêre, *panegyricis* & *adoreâ* afficiuntur.

913. *Navale prælium* terribilius est: cùm se *Classes* infestæ tormentis quassant, *Classiariiq;* ipsas militares naves (malum!) perforant, incendunt, profundo absorbent; aut injectis harpagonibus, & uncis, captivant, &c.

914. *Prætoria* hic *navis* dicitur, quâ vehitur *Archithalassus*; *præsidiaria*, quæ excubat; *speculatoria*, quæ ad explorandum excurrit; *frumentaria*, quæ commeatum advectat, &c.

915. Utinam a. obsolescant opprobria hæc generis nostri, disperditio mundi, *Bella*, nihil n. uspiam est tam sacrum & inviolabile, tamq; celsum, munitum, impensũ, aut immensum, invictum aut inexpugnabile, quod vis belli non violet, infirmet, infringat, subruat, atterat, vastet, exscindat, aboleat: ut infinitæ Urbes, & Regna, & Regnatores ipsi, cum innumeris Exercitibus suis, modernaq; vastitudo & probrosæ ruinæ in Europa, documento sunt.

XCIV.

Religio.

est sacra actio

916. Quandoquidem hucusque, quomodo homines tractent *Res* & *Seipsos*, spectator fuisti: restabit videre *actiones* eorundem, *reflexas in DEUM.*

917. *Animus* namq; *hominis* persentiscit, qvemadmodum ipse regit corpus suum,

ita

ita esse Mentem qvandam *æviternam*, qvæ hoc UNIVERSUM moderatur: cui ut placeamus, esse de illa *sanctè cogitandum*, & illi *grata facienda*, & sic ab illa *exspectandam retributionem*.

918. In *tria* igitur occultè se resolvit omnis *Religio*; *Fidem in DEum*, *Reverentiam in eum*, & *Spem misericordiæ*: quæ quisquis curat, *religiosus* habetur; qui non curat, *irreligiosus*; qui præposterè curat, *superstitiosus*.

919. Numen non credere, *Atheismus* est; pro Numine ventrem colere, *Epicureismus* est; ab imortali non exspectare immortalitatem, *Sadduceismus* est.

920. Ast quia de DEO sciri nequit, nisi quod de se revelaverit ipsemet, hinc est, quòd omnes de *Revelatione* aliqua gloriantur, sive comprehensâ *Libris*, sive acceptâ à majoribus per *Traditionem*, sive factâ sibi ipsis: in eoq; rursùm tacitè congruunt omnes, quòd *Credere quæ DEus revelavit*, & *Facere quæ mandavit*, & *Sperare quæ promisit*, *optima sit Religio*.

921. Tandem, tametsi DEUS spiritu sit colendus, *Ritus* tamen externos, quibus

bus ad internum fervorem excitemur, necessarios esse assentiuntur, eoque religiosos quosdam ritus observant, Omnes.

922. Attamen diversitas Religionum magna est; quæ partim ab ignoratione Revelationum, partim à discrepante earundem interpretatione, partim à quarundam confictione, & sic admistis commentis ac imposturis, venit.

923. Quatuor sunt principales: sed harum quælibet in minores dissecta Sectas; *Gentilis*, *Judaica*, *Christiana*, *Mahomedana*; suum quæq; *Authorem*, suos *Revelationum libros*, suosq; *Ritus*, habens: cujus scopulosi qvadrivij historialem delineatiunculam en accipe!

XCV.

Gentilismus.

924. Qui nos condidit, *revelavit* se primùm *Protoplastis*, dato illis (de abstinenda arbore quadam, ut se obseqvium conditori suo debere meminissent) *mandato*, cum interminatione: sed invidiosus spiritus insusurravit eis, si vellent esse tanquam dij, ut

de fructu vetito vesceretur: quod illi parilitatē divinitatis affectantes, eheu, fecerūt.

925. Sed lapsi, agnovêre reatum, erubuêre nuditatem, condemnati ad pœnas, ejecti ex *Paradiso*: adversùs tamen desperationem, acceperunt promissum, de venturo *Semine mulieris*, ad conterendum caput *Deceptoris*: quanquam & ipsum esset atterendum, ad redimendam culpam.

926. Cujus promissi ut commeminisse possent, (quomodo *mors morte delenda* foret) mactabantur mox Agni, & confecta nuditati contegendæ indumenta: quæ prima *Sacrificiorum origo*, & scopus fuit.

927. At hominum inconsiderantia *Ritum* retinuit sine significatione, offerendo *Hostias* sine fide in *Redemtorem*, & quærendo placare DEUM merè opere operato, ut in *Caino* paruit: quæ hîc prima fuit exitiabilis erratio.

928. Subiit alia: quòd invisibilis *Numinis* præsentiā repræsentare attentârunt visibilibus signis: sive animatis (ut *Ægyptij*, qui quod *animal* prodeuntes mane primùm cōspicati fuerant, illud loco DEI, eâ die, venerabile habuerunt), sive inanimis (ut

qui

qui se *Soli, Lunæ, Stellis, Arboribus*, &c, incurvabant); sive deniq; effictis à se Idolis.

929. Unde demum animos invasit stupiditas, *Pluralitatem Deorum* commentandi: quorum tot cofinxerunt, ut singulæ gentes peculiaria numina haberent: Babylonij *Baal*, Sidonij *Astaroth*, Ammonitæ *Chamos*, Philistæi *Dagon*, Accaronenses *Beelzebub*, alij alia.

930. *Græci* innumerabiles *DEOS Deasq;* commenti sunt, superos, inferos, & medioxumos: non tantùm Mundi munia inter illos partiri; sed & jugales thalamos, carnalemq; genituram, imò & bella, &c. non minùs impiè quàm insulsè, imaginati.

931. *Romani*, quos usquam gentium coli audierant, colendos sibi rati, exstruxerunt templum *Pantheon* dictum: dividebantq; in DEOS majorum gentium, *Jovem, Apollinem, Mercurium, Neptunum; Vulcanum, Martem;* deasque, *Junonem, Minervam, Venerem, Dianam, Vestam, Cererem;* & deos minorum gentium, *Plutonem, Castorem, Pollucem*, &c.

932. Demortuos quoq; heroas [& heroinas] accensebant Divis, quasi meritis

 suis

suis in cœlum evectos, quos *Indigetes* & *semideos*, vocabant: ut *Herculem*, monstrorum domitorem; *Liberum* (Bacchum), vini inventorem; *Æsculapium*, medicinæ repertorem; *Musas*, artium liberalium inventrices, &c.

933. Excusabant sensatiores hanc Deorum multitudinem: dictitantes unum esse *Deum Deorum JOVEM*, reliquos ejus progeniem; alij *divinas Virtutes* sic variè appellitari censuerunt.

934. Habebant & *Oracula* sua, ab illusore spiritu, *Vejove*, [ex Idolis voces emittente] edita: alij fingebant cum aliquo Deo, vel Dea, colloquium, ut statutis suis conciliarent authoritatem (sicut *Numa Pompilius*): tandem libros quosdam *Sybillinos*, vaticinationem continentes, jactitabant.

935. Ad sacrificandum *deastris* suis congregabant se in *Lucis*, locisq; *excelsis*, ubi exstruebant *Aras*, & *Delubra*: *Sacrificuli* eorum dicti fuerunt *Flamines*, summusq; illorum præsul, *Pontifex*: [Cùm consecrabant *Fana*, dicebantur inaugurare; cùm ad profanos usus redirent, exaugurare.]

936. Ut expiarent piacula, aspergebant se aquâ

se aquâ lustrali, flagellabant flagellis, quin & incidebant lanceolis, ad sangvinem usque: crudelissimus Satan, *Moloch*, infantes etiam vivos sibi concremari poscebat.

637. Festos dies agebant dissolutissimè: præsertim *Bacchanalia*, genio indulgendo; & *Lupercalia*, nudè discursãdo; & *Compitatalia*, circa viarũ compita tripudiãdo, &c.

938. Supersunt etiamnùm *Idololatræ* vecordes, qui pro DEO vivo quidvis commentitium colunt: *Indi* quidam *Cacodæmonem* ipsum, furorem ejus placandi studio, (Litamus ei, inquiunt, non ut prosit, sed ut ne noceat): hem dementiam.

XCVI.
Judaismus.

939. Invalescente idolomaniâ, evocavit DEUS è medio Idololatrarum Abraham, eiq; intimavit, *solum se esse DEum Schaddai* (Omnisufficientem) *sibi ut serviat cum posteritate sua, è qva proditurus esset MESSIAS, in quo benedicerentur omnes gentes terræ*: à quibus eum tantisper discrevit signo *Circumcisionis* præputij.

940. Postea illis *Legem*, per manum Mosis, dedit tripartitam, *moralem*, *ceremonialem*, *forensem*.

941. *Moralis*, est interni cultûs immutabilis norma: cujus summarium est *Decalogus*, quem DEUS ipse cœlitùs detonuerat (duabusq; Tabulis lapideis digitô suo inscripserat), edicendo: *Aliud numen, præter se, non esse colendum; simulacrũ se non effigiandum; Nomen suum sacrosanctè venerandum; Sabbatum religiosè feriandũ; Progenitores ac nutricios honorandos; Nullius hominis temerandam Vitam, aut Pudicitiam, aut Facultates aut Famam, ne Concupiscendo quidem illicitè quidquam.*

942. *Ceremonialis* fuit, quâ externi cultûs ratio præscribebatur, per *Ceremonias* varias, *futuram Veritatẽ præumbrantes*: ut, quòd ad præcidendam *polytheiæ* occasionem, uniciq; pro peccatis mundi sacrificij adumbrationem, unicum esse voluit *Sanctuariũ*, & in illlo unicum *Altare* cum unico jugiter continuato *Igne*, unicoq; *Sacerdote summo*, unicâ item *Fœderis arcâ* &c.

943. Congregationem tamen populi generalem frequentari voluit ter annô; festo

festo *Paschatis*, *Pentecostes*, & *Scenopœjas*; in memoriam *Agni Paschalis* (cujus sangvine ab Angelo percussore fuerunt liberati); & *datæ Legis*; & *conservationis* quadragenariæ in eremo: & ut insvesceret agnoscere DEUM, tanquã suum *Conservatorem*, *Redemtorẽ*, *Sanctificatorẽ*; additusq; fuit *Sabbatismus annorum*, & *annus Jubilæus*, futuræ universalis restitutionis typus.

944. *Sacrificia* offerri jussit, vel (1) *Expiatoria*, *pro expiandis peccatis*; [quorum quod pro omnibus peccatis generatim offerebatur, totius victimæ combustione, dictum fuit *Holocaustum*; pro delicto ignoranter admisso, *Piaculum*; pro reatu scienter, licet ex infirmitate commisso, *Supplicamentum*]: vel (2) *Eucharistica*, quæ constabant ultroneis (ad testificandã gratitudinem) oblationibus; sive esculentorum & poculentorum, dicebaturq; *Libatio*; sive animalium mactandorum, *Hostia pacifica*: sed & (3) adoleri *Thura* voluit, &c.

945. Jussit insuper proventuum *primitias* & *decimas*, sacratis personis (*Sacerdotibus*, eorumq; cooperatoribus *Levitis*) in eorum sustentationem deferre: à Ci-

bis

bis immundis, omniq; *sanguine*, (*ad expiandum animas relicto*, Lev. XVII.11.12.) abstinere, &c &c.

946. Lex *Forensis* spectabat coërcitionem refractarij populi: hinc *apostatis*, & *blasphemis*, & *pseudoprophetis*, *capitalis pæna* constituta: rursumq; *asyla* illis, qui nolentes cædem admisissent.

947. Quoties deviabant, submittebat *Vates*, inspiratione suâ afflatos, per quos pœnitentiæ commonefaciebat, obstinatos variè concastigabat: donec & (secundùm comminationes) abjecit, ac disjecit, ut destituantur jam, & *Templo* & *Sacerdotio*: Religionis tamen avitæ (per *Samaritanos*, *Pharisæos*, *Saducæos*, *Essæos*, pridem depravatæ) retinent umbram, sacraq; sua in *Synagogis* peragunt.

948. Divisi nunc sunt in duas sectas: Nostrates hîc vocantur *Judæi*, quia ex tribu Juda (post ultimam Hierosolymæ à Romanis vastationem) in captivitatem abducti, & per Europã dispersi: Assani sunt reliquiæ decem tribuum *Israëliticarũ*, in Assyriam longè antè transportatarum: inter quos, & hos nostros, implacabile est odium.

949.

949. Nam noſtri ſunt *Phariſæorum* propago, Traditionesq́; majorum (comprehenſas libro *Talmud* à *Rabbinis* conſcripto) ſeqvuntur: alteri illi ſola *Prophetarum Scripta* tenent; ideoq; *Carai*, hoc eſt, *Scripturarij*, dicti: utriq; Meſſiam adhuc exſpectant, (licèt ſigna adventûs ejus pridem præterlapſa ſint), utq; ne emaneat diutiùs, agunt jejunia ſæpè cum planctu in cilicio & cinere ſe ſe humiliantes, commiſerationemq; *DEI Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*, implorantes.

XCVII.

Chriſtianiſmus.

950. *Chriſtiani* ſunt, qui promiſſum *Salvatorem* jam veniſſe, eumq; JESUM *Nazarenum* [à Judæis ob minùs pompaticam conditionem rejectum] eſſe, credunt: quia omnes divinitùs factas prædictiones in illo adimpletas vident.

951. Puta, quod natus ſit tempore prænunciato, *poſt ablatum Sceptrum à Juda*; & in loco, quem nominaverat os DEI, *Bethleemi* & è *domo Davidis*; & ex ma-

tre *virgine, Maria*; & quòd potens fuit verbo & opere, edidítq; *signa verè divina*; & vixit vitam sanctissimam, prorsùs immaculatam; & adjudicatus morti innocens, solâ invidiâ, sustinuit eam (propter peccata mundi, sicut prædixerant Prophetæ; & præfiguraverant omnes Victimæ, & ipse moriturus dixit, se tradere animam suam in lytrum, Matth. XX. 28.; & se pro hominibus sanctificare, ut sanctificentur ipsi, Joh. XVII. 19.) patientissimè, orans pro se crucifigentibus, & sic vincens tentationes omnes, novus Adam.

952. Quod item tertiâ die resurrexit à mortuis, reversusq; ad suos redivivus, inspectantibus illis, ascendit in Cœlum, ac inde (juxta factam promissionem) demisit *Spiritum paracletum* super suos; quos dono Lingvarum instructos, emisit ad Gentes, ut nunciarent *Verbum*, per quod Mundus erat factus, incarnatum fuisse, & habitasse in nobis; peractoq; Redemtionis opere, rediisse ad Patrem, indidemq; reversurum ad judicandum vivos & mortuos; ut quicunque resipisceret, & crederet, baptizareturq; in nomine *Patris*, & *Filij*, & *Spiritûs Sancti*, salvaretur.

953.

953. Et quòd inermi huic prædicationi cooperata fuit virtus ex alto; quia, utut Apostoli (oculati illi omnium testes) crudelissimè internecabantur, unâ cum asseclis suis; devicerunt tamen martyres, & Mundus succubuit, convertunturq; virtute Crucifixi porrò etiam gentes ad DEUM Abrahami, accepturæ illam omnibus promissam benedictionem.

954. Hæc professio facit *Christianos*: habentes Religionis suæ canonem, *Biblia*, h. e. omnes divino afflatu inscriptos libros (*in Testamento Veteri, Mosis & Prophetarum; in Novo, Evangelistarum & Apostolorũ*): ex qua *revelationum plenitudine promanare potest Fidei sublimitas, Vitæ sãctitudo, Spẽiq; excellẽtia*, præ omnib⁹ ante habitis.

955. O igitur felices Christianos, bona si sua nôrint, & se ad exẽplar præcæssloris sui composuerint! Habent n. ante se luculenter, *quid credendum sit?* nempe quæ docuit Dominus: & *quid faciendum?* nempe quæ fecit Domin⁹ (exinaniendo seipsum, & resignando Voluntatem propriam, & subdendo se Deo, ad faciendũ & patiendum omnem voluntatem ejus); & *quid speran-*

ſperandū deniq; : nempe quæ poſt exinanitionem ſuam cōſecutus eſt Dominꝰ, Reſurrectionē glorioſam & Vitam æternam.

956. Hæc eſt breviſſima Chriſtianiſmi ſumma, & perfecta, ſimulq; compendioſa cœli via, quæ in ipſa *Catecheſi* ſummatim docetur: quia *Fidem format Symbolum Apoſtolicum*; *Charitatem normat Decalogus*; *Spem provocat Oratio Dominica, obſigillantq́; Sacramenta*: quæ omnia omnes habent, tametſi diſpariliter.

957. Cœleſtis quidem Magiſter commutans Moſaicas umbras (ne inanes eſſēt) veritati, & explanans ſalebroſam Legis viam in ſanctam Sionis viam (per quam ne ſtulti quidem errarent, Jeſ. *XXXV*. 8.) Legem *Moralem* totam revocavit ad unicum *Dilectionis præceptum*; & totam *Ceremonialem*, ad ritum *Baptiſmi* & *Euchariſtiæ* (illum *Sacramentum regenerationis* noſtræ, hanc *nutritionis* ex illo): totam deniq; *Forenſem* ad inſtitutum *Eccleſiaſticæ Diſciplinæ*, conſiſtentis in admonitione, correptione, excomunicationeque, vi *Clavium regni cœleſtis*, quas reliqvit Eccleſiæ: homines tamen in diſceptationes ſuper his prolapſi ſunt.

958. Vis circa ista quoq; videre *dissensum?* multus sanè est, proh dolor! etiam in *adiaphoris*: comemorabo quædam, in quibus consensio vel dissensio est.

959. *Diem Dominicum*, (in quo resurrexit Dominus) festum agunt omnes; cœteras añiversarias festivitates dividunt in *stativas* (statas), quæ iisdem mensium dieb⁹ recurrunt quotañis, [ut *Natalitia Christi*, & reliqua *immobilia festa*]: & *conceptivas*, quæ diem mutāt, [ut *Pascha*, & dehinc *Pentecoste*, aliaq; *mobilia festa*]: *imperativas* quoque admittūt ferias, jejuniis & supplicationib⁹ publicis interdum indictas, &c.

960. Cùm *feriatus dies* illuxit, pientiores domi suæ priùs se, & suos, sacris exercitiis præparant: dumq; campanarum pulsu cœtus convocatur, & *Æditus* ædis sacræ januas pandit, conveniunt: ubi Cantorum chorus decantat ad pluteum *Psalmos, Hymnos, & Cantica* spiritualia; accinente simul populò, & assonante concentu *Organorum* (Musicorum) ubi habentur.

961. Mox *Concionator* ex adyto (*Sacrario*) prodit, & de cathedra (gratiam Spiritûs Sancti priùs devocans) *Biblia* prælegit, & paraphrasi dilucidat: jam rudes

catechizans; jam peccatores ad resipiscentiam exhortās, refractariosq; infernalibus pœnis terrefaciens & sic *Legem* prædicans; jam contrita corda per merita & satisfactionem CHristi consolans, & sic *Evangelium* annuncians.

962. Concione finitâ, precibusq; ac *Litaniâ* peractis, Concionem faustâ apprecatione, ac benedictionis denunciatione, dimittit *Ecclesiastes*: sæpè tamen pœnitentes absolvendo Sacramenta administrat; impœnitentes a. excommunicando, participatione excludit.

963. Incorporandi CHristo & Ecclesiæ *baptizantur*, etiam infantes: sed quos mysteria Fidei edoctum iri, fidejubent ad actum hunc exorati pij: quos babtizati postea vocant suos *Susceptores*; parentes a. ipsorum suos *Compatres* & *Commatres*.

964. Reperiuntur tamen, qui *pædobaptismum* ab insciis susceptum, infructuosum opinari, tales rebaptizant, exinde *Anabaptistæ* dicti: suis verò Baptismum nonnisi adultioribus, fidem & obedientiam ore suo professis, seque scientes volentes CHristo devoventibus, conferunt: *Abyssini*

sini contrà, Baptisma qvotannis iterant, eiq; Circumcisionem superaddunt: *Cophthitæ* & *Suriani* addunt baptismum ignis, Crucis charactere inusto: alij *Exorcismum* & *Chrisma*: alij deniq; baptizandos immergunt flumini, alij aquâ solùm conspergunt, ad Baptisterium.

965. Et quia Christus, morti se pro nobis daturus, sanxit [loco *Agni Paschalis*] *Cœnam novam*, in qua fideles suos carne suâ in mortem traditâ cibari, & sangvine suo in remissionem peccatorum effuso potionari, mandavit: recolunt hujus sacrificij celebrationem omnes, quanquam non sine discrepantiæ (sententiarum & rituum) exprobratione.

966. *Hierarchiam Ecclesiasticam* si spectes, Apostolorum tempore *Pastores* pascebant Ecclesias; *Doctores* invigilabant puritati doctrinæ; *Seniores* attendebant exercitio disciplinæ, *Diaconi* curabant collectitias eleemosynas, erogabantq; inter egenos: sed postea gradus fuerunt aucti, ut apparatissima *Hierarchia* Ecclesiæ Græcæ & Latinæ facta sit: ubi ad *Clerum* nemo admittitur, nisi ordinatim ascendens

967.

967. Primùm namque initiantur *Ostiarij*, dehinc *Exorcistæ*, tùm *Lectores*, mox *Acoluthi*, postea *Diaconi*, tandem *Presbyteri*: quibus potestas datur *Missam* faciendi, auriculares *Confessiones* audiendi, Aquâ lustrali (aspergillo ex aquiminali haustâ) perspergendi, moribundos ungendi, novos nuptos copulandi, &c.

968. *Sacellani* præficiuntur sacellis minoribus; *Parochi*, parœciæ uni; quarum plures constituũt *Diæcesin* (seu Episcopatum): Episcopatui verò præest *Episcopus*, cum suis *Canonicis* & *Suffraganeis*: Episcopis aliquot, *Archiepiscopus*: quibꝰ rursum superior est *Patriarcha*; sũmus autem inter hos *Papa*, cum *Cardinalibus* suis.

969. Monasteria inhabitant *Monachi*, spontaneam paupertatem, & castimoniam, & obedientiam [secundùm certam Regulam] professi; quibus præsunt *Antistites* (*Abbates* scilicet, vel *Præpositi*); *Monialibus* verò *Antistita* (*Abbatissæ*): *Eremitæ* vitam degunt in eremo.

970. Invehentes dissidia, & discidia, *Schismatici* vocantur; deficientes à fide, *Apostatæ*; erronea dogmata pertinaciter defen-

defenſitantes, *Hæretici*; ipſi a. hæreſium authores, *Hæreſiarchæ.*

971. Cujuſmodi ſcandalis quoties obviandum eſt, convocatur (priſtino more) *Synodus, provincialis*, vel *nationalis*, vel etiam *Concilium Oecumenicum*: ubi congregati *Orthodoxi* ſummates, *Catholicæq;* fidei aſſertores, controverſias determinant, ſchiſmata componunt, blaſphemantibus anathema dicunt: quæ tamen ſupra captum ſunt, indecîſa relinqvunt; & quæ emendare non poſſunt, DEO committunt.

XCVIII.

Mahomediſmus.

est Cæsar Turcarum

972. *Mahomedani* ſunt, qui tertium magnum Prophetam (poſt Moſen & Chriſtum) recipiunt, *Mahomedem*: qui cùm eſſet homo bellator, regnorumque affectator, ut Mundus religionem haberet faciliorem, quàm eſt Judaiſmus, ceremoniis oneroſus; & Chriſtianiſmus, ſenſuum ſublimitate ſcrupuloſus; introduxit novam, ex utraq; miſcellaneam.

973. Diem feriaticum suis sectatoribus (qui se *Musulmannos*, vel *Muslimos*, nuncupant) jussit esse *diem Veneris*, (quod eâ die creatus esset homo), & precari atque ablui quinquiès de die: interdixit verò iisdem suillâ & vino; indulsit contrà *polygamiā*, & promisit corporeas post obitum (in paradiso) voluptates &c.

974. Doctrinam ejus, descriptam Arabicè *Alcorano* [diviso in *Azoaras* 114, & continente, præter Legis & Evangelij fragmenta, fictiones quasdam] interpretantur illorum Mystagogi, *Talismanler* dicti, & *Dervisi*; quorum supremus *Mufti* est.

975. Diffident ipsi quoque: dum alij solum *Ali* authenticum Alcorani interpretem volunt; allij huic *Ebubecar Aomar Osman*, sociant: & hoc est, quapropter *Turcæ* cum *Persis* adeò in se bellis sæviunt: utriq; alioqvi cognitionis rerum expertes, resq; suas tantū severitate adminiculātes.

976. Deplorandum verò, adeò nos disconvenire hîc, ubi conveniebat esse convenientiam maximam: in advenerando uno illo omnium Conditore: nec minùs tamen inconveniens, quod *Libertini* faciunt,

ciunt, omnes Religiones approbare, & quamcunq; sectari velle: deceptio enim subest. Zelotesq; DEUS nos esse in suo cultu ferventes, teporem abesse, vult.

XCIX.

Providentia DEI,

Rerumque finis.

977. Aspectasti visibilia: superest, ut tibi ostendam ea, quæ nõnisi mentis oculo spectari possunt. Ain? Ecquæ illa? *Perreconditum Illum*, qui essentialiter incomprehensibilis, permeat omnia, operaturque in omnibus omnia: cum occultis consiliorum suorum exseqvutoribus, *Angelis*.

978. Tametsi enim indigus opis non sit, *Opitulator* omnium, placitum tamen *Illi* fuit, constituere sibi *Providentiæ* suæ administros præveloces, mole corporali non præpeditos: qui amandati obirent mandata, legationeq; functi referrent se ocyssime, & circumstarent gloriæ thronum.

979. Sed pars illorum per arrogantiam desciverunt ab obtemperatione, deturbatiq; sunt *Cœlo empyreo* ad *Orcum*:

qui autem perstiterunt, confirmati sunt, ne labi ampliùs possint.

980. Nominibus eos distingvi, novimus: sed quæ nobis incomperta sunt præter *Gabrielis, Raphaelis, Urielis*, &c. malignorum spirituum caput *Beelzebub* nominatur, & *Luciper*.

981. *Boni* associant se insensibiliter piis, jam inde à nativitate, ad averruncandum mala, & protegendum eos ab insultibus Vastatoris, tandemque animas inferendum æternitati: apparent interdum, disparentque rursum; non præstringendo oculos, sed reapse.

982. *Mali* genij, cùm in persona alicujus malè mortui apparent, dicuntur *Larvæ*; cùm homines aliâs proterrent, *Spectra*; cùm infantibus infesti sunt, *Lamiæ*; cùm per noctem intempestam tumultuãtur, *Lemures*; cùm veteratoriè alicui famulantur, *Lares*, & *Penates*: utitur tamen illis quoque ad salutarem piorum probationem, impiorum autem promeritam divexationem, justus dispensator omnium.

983. Stulti ergò sunt *Epicurei*, otiosum facientes per *beatum Illum*, quem rerum tumul-

multu non fatigandum censent: quem tamen interesse rebus inseparabiliter arguunt *Vaticinia*, & *Portenta* ac *Prodigia* (ingētes mutationes præsignificantia ac portendentia) toties eventis comprobata; ut scias ab omniscio nos præmoneri.

984. Insani & *Stoici*, qui ex connexione causarum naturalium *Fatum* catenant, cui ipsum quoque omnium *motorem*, & *rectorem* innectunt: sic enim res non procedere coarguit, quod non semper ab iisdem causis eadem veniunt effecta, quemadmodum experiuntur Astrologi.

985. Vesani [excordes] denique *Machiavellistæ*, qui mundum humanis consiliis regi autumant: cùm tamen negotia, callidissimorum quoque, non quomodo inchoant, sic finiunt: quin hos maximè tandem infelicitari, videmus.

986. Tu firmiter statue, utcunque res nostræ subjaceant vicissitudinibus, eas tamen nec temerariis casibus volutari, nec fatali necessitate constringi, nec astutiis humanis versari: sed providentissimo consilio Ejus, qui ab æterno prævidet omnia, & disponit secundùm beneplacitum suum.

987. *Fors*, & *Fortuna*, nihil sunt; etiamsi *Casus fortuiti* dentur: hi enim dicuntur respectu nostri, non *Providentiæ*; quæ tam præscit quid cras, perendie, & deinceps futurum est, atque scit quid heri, pridie, & abhinc tot annis, factum est: quippe prædestinavit omnia bonis in bonum.

988. Insunt ergo *omina* rebus: at captare *præsagia* usquequaque, superstitio est: si tibi manifestare quid dignabitur, qui providet omnia, non tibi latebit: Tu eccur anticipare fata tua velis?

989. Lætemur potiùs, curæ nos esse *Illi*, qui meliùs novit, quid nobis expediat, quàm ipsi nos, benefaciendique amplam habet facultatem: quippe in cujus manu sunt omnia, & cujus imperiô ipsa quoque Inferorum potestas coërcetur.

990. Interea tamen consultò faciamus sub metu ejus, quicquid possumus, ne nobis fortuitò eveniat quidquam: Rationabiliter agere, & competenter in rerum *Moderatore* fiduciam collocare, si quis nescit, irrequietus est, & infortunio expositus: contrà, qui rectè agens fidissimo *Illi* non diffidit, seu illi contingunt bona, seu ac-

cidunt mala, sedatus erit, æternantis bonitatis præsumens lætitiam.

991. Adveniet autem *novissima dies*, quâ Mundus deflagrabit & corruet, nos autem resuscitabimur & judicabimur: ubi manifesta & occulta patefient omnia, ratioque reposcetur ab omnib⁹ omnium anteactorum, cogitatorum, dictorum, factorum.

992. *O ter beatos*, qui tunc habebunt propitium! Pascentur non *ambrosiâ* & *nectare* (ut fabulati erant ludiones Poëtæ) sed svavitatibus absconditis, & ineffabilibus in sempiternum.

993. *At væ infelicibus illis*, qui abominanda patrarunt! detrudentur cum rerum perditore in *gehennam*, excruciandi tormentis inenarrabilibus: Vindex enim gloriæ suæ erit universorum judex.

994. Ita finis omnium erit, *Salus* aut *Exitium*, nunquam desitura: hûc exeunt omnia, etiam Mundi lustramen nostrum.

995. Faxit miserator noster, ut quoad hîc (inter fluxa & evanida illa) sumus, sanctè vivēdo, & quotidianis suspiriis *penetralia Cœli* penetrãdo, jam nunc *Cœlitibus* annumeremur, propter misericordiam suam.

C. Clausula.

996, Cedò, sodes, si quid supersit! nam eatenùs tradita cõsecutus sum, absit jactãtia dicto.

997. Siccine? Macte esto virtute! Euge subegisti ingenio succinctam Synopsin Rerum omnium, totiusque Latinæ Lingvæ: nihil tantopere omissum reor.

998. Propera sis, *Januá* pertransitâ, ingredi ATRIUM! ut post simplicem Rerum Nomenclaturam, lustres sermonis elegantias, scientiaq; tua fiat tùm locupletior, tùm politior, variis complementis & scitamentis.

999. Admoneo tamen te, auctarij loco, ut *potiora potiùs* agas, meliorque esse, quàm videri doctior, allabores, ne scientiola tua tecum dispereat: quæ quotusquisq; advertit? Tu *Memento*, & *Vale*, Deoque *vota vove*!

1000. *JEHOVÆ Zebaoth, à qvo, per qvem, & in qvem, sunt omnia, æternùm individuæ adorandaq;* TRIUNITATI, *honor sit in secula seculorum, Amen, Hallelujah!*

F I N I S.

Sphalmata Typographica.

81. Quicquid 115. Amygdalum 252. grunniant 300. hypochondriacam 334. anniculum 340, circumvehunt 364. priùs 383. cilicinus 400. tessellis 441. Rhedariis, 461. Sublica 880. suffragij 897. eminùs *deleatur*.

Ad Pædagogos & Cõmpactores librorum.

LExicon Januale sequi hic proxime deberet: qvia tamen per seipsum justum volumen complet, adaptari hic poterit GRAMMATICA JANUALIS, ut cum Januæ Textu uno compingatur volumine.

Stillicidium, Dachtraufen.
Strictura, Hammerschlag.
Sh
Hypocaustum. [illegible] [illegible] die oberstube

